MEDULLA

FUNDAMENTALIS THEOLOGIAE MORALIS

QUAM

SEMINARISTIS ET PRESBYTERIS

PARAVIT

GUILIELMUS STANG

Episcopus Riverormensis

S. Theologiae Doctor ejusque Lovanii quondam Professor

EDITIO ALTERA ET AUCTA

NEO-EBORACI, CINCINNATI, CHICAGO

BENZIGER FRATRES

SUMMI PONTIFICIS TYPOGRAPHI

1907

Nihil obstat.

REMY LAFORT, S.T.L.,

Censor Librorum

Imprimatur.

✠ JOHN M. FARLEY,

Archbishop of New York

NEW YORK, October 4, 1906.

LECTORI

Parvo libro habes Synopsin, quam olim auditoribus meis Lovanii tamquam schema praelectionum conscripsi. Multa breviter, nonnulla imo subobscure eo fine proponuntur, ut attentio discipulorum ad magistri verba varias quaestiones evolventia trahatur eorumque intellectus proprio Marte exerceatur. Insuper hae paginae ipsis sacerdotibus curam animarum habentibus non inutiles forsan erunt, qui, cum tempus saepe eis deest ponderosa Moralistarum volumina percurrendi, ista principia pro praxi tam necessaria in mentem revocare negotio sat facile valent.

De facto, plures sacerdotes, qui istis foliis subituri Theologiae Moralis periculum in concursu promovendorum ad Missiones inamovibilitatis dote insignitas vel in examinibus pro clero juniore praescriptis usi

sunt, gratum animum mihi patefecerunt, quod brevi tempore et haud magno labore totum fundamentum Theologiae Moralis mente revolvere potuerint.

Faxit Deus, ut haec nova editio regimini animarum a Christo redemptarum inserviat!

G. St.

Scribebam Fall River, festo Beatissimae Virginis in coelum assumptae, 1906.

INTRODUCTIO

Theologia moralis est " disciplina quae agit de actibus humanis ut ordinem dicunt ad ultimum finem secundum revelationis christianae principia " (Lehmkuhl). Haec disciplina seu scientia, qua actiones morales hominis aptae declarantur ad finem ultimum supernaturalem, est scientia *practica,* quia proxime ad agendum ordinatur, et scientia *theologica,* quia agit de Deo ut fine ultimo humanorum actuum et de veritatibus e divina revelatione petitis.

Objectum materiale theologiae moralis sunt actus humani. *Objectum formale* constituunt actiones morales prout ultimo fini hominis sunt conformes.

Principium formale theologiae moralis, ex quo christiana morum doctrina derivatur, est vivum ac infallibile Ecclesiae magisterium. Principium *materiale* sunt Sacrae Scripturae et traditio; de quo principio Concilium Triden-

tinum definivit, "salutarem veritatem et morum disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto Traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt."

Methodus seu modus et forma tractandi theologiam moralem est triplex: scholastica, casuistica et ascetica.

Methodus *scholastica* seu speculativa veritates morales e propriis fontibus desumit easque explicat et evolvit necnon ex principiis philosophiae christianae illustrat.

Casuistica methodus veritates morales ad casus particulares vitae humanae applicat et questiones practicas praesertim difficiliores ex principiis moralibus solvit.

Ascetica ea methodus est, quae ex veritatibus moralibus rationes et motiva ad sectandam virtutem exhibet et dirigit.

Illi auctores theologiae moralis optimi mihi videntur, qui triplicem illam methodum apte conjungunt et quamvis in diversis partibus aliam methodum aliis praeferunt, universim tamen methodum tripliciter compositam sectantur.

Theologia moralis dupliciter *dividitur:* alia est generalis seu fundamentalis, alia specialis. Ista de praeceptis et sacramentis tractat. Theologia *fundamentalis* exponit generalia morum principia, quae totam disciplinam ita pervadunt et regunt, ut particulares illius veritates sine illis explicari et intelligi non possint. Vocatur jure fundamentalis, quia in ea traduntur principia generalia, ait Bouquillon, quibus tanquam *fundamento* resolutiones particulares quaecunque innituntur.

Pro studio theologiae moralis fructuoso requiruntur hae animi dispositiones: *fides viva,* quia de Deo agimus; theologia requirit hanc fidem; *magna reverentia* et *submissio erga Dei legem; perfecta sinceritas* quae quaerit veritatem, praeceptum,—non utrum aliquid sit benignum aut rigorosum, observatu facile aut grave; *ardens amor veritatis* quae non sistit in cognotione variarum opinionum, sed conatur in dubiis ad veritatem pervenire, controversa explicare, quin dubia pro certis proponat; *libertas* a praejudiciis gentis, instituti, scholae. Prae cordi habeantur verba S. Alphonsi: " in delectu sententiarum ingens

nobis cura fuit semper rationem auctoritati praeponere, et priusquam nostrum ferremus judicium, in eo, ni fallimur, toti fuimus ut in singulis quaestionibus nos indifferenter haberemus, et ab omni passionis fuligine exspoliamus."

INDEX CAPITUM

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS

TRACTATUS DE LEGIBUS

TRACTATUS DE CONSCIENTIA

TRACTATUS DE PECCATIS

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS

CAPUT I

DE NATURA ET DISTINCTIONE ACTUUM HUMANORUM

1. **Actus humani** dicuntur, qui ex voluntate deliberate procedunt et quorum homo est dominus. Illi actus procedunt a deliberata voluntate, qui ab homine fiunt libera voluntate cum advertentia mentis ad actum ponendum vel omittendum. Est autem homo actuum suorum dominus per rationem et voluntatem. — *Actus hominis* vocantur illi, qui ab homine sine deliberata voluntate ipsius proveniunt. Tales actus sunt qui fiunt ab homine usum rationis non habente, ut actus infantium, dormientium, delirantium, ebriiorum; vel qui ab homine usum rationis quidem habente, sed ratione actualiter non utente fiunt, uti actus hominis penitus

distracti et motus prorsus indeliberati concupiscentiae.

2. Divisio. Actus humanus est:

a.) *Elicitus* vel *imperatus*. Actus elicitus procedit immediate a voluntate et in hac sola consummatur; ut amor, odium. Actus imperatus procedit ex imperio voluntatis ab aliqua potentia sive interna, sive externa; ut actus fidei, meditatio, deambulatio, locutio.—Voluntas excercet imperium in intellectum, in sensus, in appetitum sensitivum et in vim motricem. Voluntas etiam proprios actus imperare potest.

b.) *Internus* vel *externus*. Prior ille est, qui animae potentiis mere internis perficitur, posterior vero per organa corporis externa.

c.) *Bonus* vel *malus*. Actus est bonus qui rectae rationi seu regulae morum conformis est; malus vocatur, qui rectae rationi repugnat. De actu *indifferente* loquemur inferius.

d.) *Naturalis* vel *supernaturalis*. Ille actus dicitur naturalis, qui solis naturae viribus perficitur; supernaturalis, qui auxilio divinae gratiae producitur.

e.) *Validus* vel *invalidus*, prout omnibus conditionibus ad proprium effectum producendum requisitis gaudet vel aliqua caret.

Nota. Omnes actus humani duobus principiis seu potentiis efficiuntur, nempe cognitione rationis et libera voluntate. Quare agemus nunc de istis duabus conditionibus, quasdam tamen notiones e Philosophia de libertate praesertim voluntatis supponentes.

CAPUT II

DE ADVERTENTIA SEU DE COGNITIONE

1. Advertentia ad ipsum actum necessaria est, ut actus aliquis habeatur vere humanus et moralis. Ipse actus debet esse in potestate operantis ideoque oportet ut sciat operans se elicere actum. Unde cogitationes, imaginationes et appetitiones quae sine advertentia in mente, phantasia et appetitu sensitivo oriuntur, non sunt actus humani neque imputabiles.

2. Advertentia ad objectum morale ejusque circumstantias requiritur, ut actus sit moraliter bonus vel malus, quia nihil est volitum, quod non est praecognitum. Actus eatenus

est volitus, quatenus est cognitus. Inde bonitas vel malitia actus pendet a gradu cognitionis circa objectum ejusque circumstantias. Qui aufert rem ignorans eam esse alienam, non committit furtum, et qui aufert rem alienam, sed ignorans eam esse sacram, committit quidem furtum, non autem sacrilegium; et qui aufert rem alienam sacram, sed ignorans rei sacrae amissionem alicui magnum parare damnum, committit furtum et sacrilegium, sed non peccat contra caritatem.—Diversitas advertentiae ad actum efficit, ut diversi actus in voluntate distinguantur: actus seu *motus primo primi*, qui omnem mentis advertentiam praeveniunt omnique culpa carent; actus seu *motus secundo primi*, qui perfectam mentis advertentiam praeveniunt et peccatum veniale non excedunt; actus seu *motus secundi*, qui plena cognitione et libera voluntate eliciuntur.

3. **Deliberatio** aliquando requiritur ad perficiendum actum moralem. Mens non semper intelligit statim rem esse bonam et faciendam, vel malam et omittendam, quia frequenter objectum particulare simul

sub ratione boni et mali se exhibet. Deinde mens deliberare debet, rationesque boni et mali utrimque conferre, antequam agendum sit.

CAPUT III

DE VOLUNTARIO

1. Voluntarium dicitur, quod procedit a voluntate cum praevia cognitione intellectuali. Duo ergo requiruntur ad notionem voluntarii, *α*. ut actus procedat a voluntate, *β*. ut adsit praevia cognitio eorum, circa quae actio versatur. — Voluntarium differt a *volito*, in quod voluntas tendit, quin illud producat. Sic amoena tempestas mihi est volita, non voluntaria. Differt voluntarium a *spontaneo*, quod procedit a cognitione mere sensitiva et impulsu interno atque communiter amentibus et brutis tribuitur.[1]

[1] *Casus de voluntario.* I. Vigilantius missam die Dominica non audivit eo quod dormivit usque ad meridiem; quandoque in verba obscoena prorupit inadvertenter; delictum occultum alicujus officialis manifestavit, qui propterea officio suo privatus est; furem quem noctu in domum vicini irrumpentem vidit non impedivit; pluries se inebriavit et in ebrietate blasphemavit et rixatus est.

2. Divisio voluntarii:

a.) *Necessarium* et *liberum*, prout voluntas ita fertur in objectum, ut ab eo abstinere nequeat, velut actum ponere vel non ponere possit. Amor erga Deum in beatis est necessarius; et tamen ratio voluntarii in eis perfectius reperitur. Termini *voluntarii* et *liberi* in re morali promiscue usurpantur.

b.) *Perfectum* et *imperfectum*, prout cum plena cognitione et pleno voluntatis consensu vel ex subobscura cognitione, aut imperfecto consensu procedit. Semisospites, distracti.

c.) *Voluntarium simpliciter* et *secundum quid*, prout fit cum plena voluntatis inclinatione vel fit cum aliqua voluntatis repugnantia.[1]

II. Pater Placidus in dioecesi aliena sine licentia expressa confessiones audivit, Episcopo tamen sciente; parvas horas recitare ter omisit, quia distractus breviarium domi reliquit; Socialistam famae monachorum detrahentem libenter audivit nec ipsi contradixit; sacerdotem qui ex inadvertentia die Veneris carnes manducabat monere omisit; medicum qui mulieri graviter aegrotanti ad servandam vitam porrexit medicinam, qua abortus foetus secutus est, ab omni peccato excusavit.

[1] Sint duo exempla:

Expressum: Episcopus per *litteras* dat mihi facultatem audiendi confessiones vel verbis vel signo mittit me ad confessionale.

d.) *Expressum* et *tacitum,* prout verbis aut signis manifestatur vel ex facto aliquo aut omissione notum fit. Axioma: "Qui tacet consentire videtur" recte applicari debet in favorabilibus,[1] in certis casibus jure determinatis [2] et si nolens consentire sive loqui deberet sive posset. (Cf. Génicot, I, 5.)

e.) *Directum* [3] et *indirectum,*[4] prout in se ipso intenditur vel in alio est intentum, tamquam effectus in causa.

f.) *Actuale, virtuale, habituale et interpretativum.* Voluntarium vocatur *actuale,* quod a voluntate sub attentione intellectus procedit, uti si quis hic et nunc intendat baptizare. Dicitur *virtuale,* quod aliquando a voluntate elicitum fuit et adhuc ita perseverat, ut in

Tacitum: Episcopus vidit extraneum sacerdotem (qui aliunde jurisdictionem non habet) audientem confessiones et nihil dicit.

[1] *In favorabilibus;* exemplum: tu mihi promittis 100 scutata et ego taceo; non vero si tu petis 100 scutata et ego taceo.

[2] *In certis casibus a jure determinatis.* Ex jure Canonico: consentire videtur (in foro externo) filius qui tacet, ubi sponsalia pro ipso a parentibus contrahuntur.

[3] *Directum,* ut furtum deliberate patratum.

[4] *Indirectum,* iracundia proximi per furtum excitata. Scribenti pravos libros peccata legentium imputantur uti voluntaria in causa.

opus ponendum influat ejusque causa existat; ut absolutio a confessario distracto impertita. *Habituale* dicitur quod etsi olim habitum sit nec retractum, nunc tamen nullo modo in actum influit. Sic aliquis intentione facta et non revocata non amplius ab illa intentione movetur ad agendum propter nimiam temporis moram. *Interpretativum* est, quod nunquam est positum, sed quod poneretur, si de eo cogitatio incideret; ut qui christiane vixerit, praesumitur extremam unctionem velle suscipere. Sic filius cum consensu interpretato patris benefici eleemosynam dat pauperi.

3. **Involuntarium** dicitur, quod voluntario opponitur neque procedit a voluntate, sed fit a principio extrinseco contra voluntatis inclinationem et cum defectu cognitionis. Est involuntarium perfectum, quando voluntas aliquid plene et toto consensu rejicit; sicuti resistentia tentationibus contra fidem vel castitatem opponenda. Vocatur involuntarium imperfectum, quando voluntas aliquid cum aliqua haesitatione rejicit.

4. **Voluntarium in causa** est effectus in se non intentus, sed ex causa vel cum causa posita vel non ablata praeter intentionem

secuturus et sic praevisus. Quamvis indirectum, est verum objectum voluntatis; qui enim vult causam, vult et effectum. "Causa causae est causa causati." Internus voluntatis actus potest habere unum effectum externum vel plures effectus; fieri potest, ut omnes isti effectus directe intendantur vel non directe neque per se intendantur. E. gr. Projectio lapidis, causans homicidium, familiam in miseriam conjiciens. — *Fundamentum imputabilitatis* est libera voluntas; actus quicunque operanti tamquam suo domino tribui nequit, nisi procedit a cognitione et voluntate. — Effectus bonus in causa (indirecte) tantum volitus agenti non imputatur, quia bonitas est perfectio positiva voluntatis, quam voluntas non acquirit nisi tendit in objectum bonum. Malus autem effectus in causa volitus in certis conditionibus operanti imputatur, quia ut malum imputari possit sufficit ut non vitetur. Hinc axioma: "Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu."

5. Effectus malus indirecte seu in causa voluntarius imputatur agenti ad culpam, quando hae tres conditiones verificantur:

a.) *Ut agens ponendo causam saltem in confuso advertat hujusmodi effectum esse ex illa causa secuturum.* Agens vero effectum aliquo modo seu in confuso praevidisse censetur, si per se ex actione sequitur vel si ordinarie seu communiter ex ea sequitur, vel agens scit ex experientia effectum ex actione sequi.

b.) *Ut agens effectum potuerit impedire seu causam aut non ponere aut positam auferre.* Quod non est liberum, non est imputabile. " Nemo ad impossibile tenetur."

c.) *Ut agens teneatur effectum impedire* seu debuerit causam aut non ponere aut positam aufere. Ubi non est obligatio vitandi causam, effectus ex illa sequens non est imputabilis.

6. Licitum est ponere causam bonam aut indifferentem, ex qua immediate effectus sequitur duplex, alius bonus et alius malus, si adsit ratio proportionate gravis et finis agentis sit honestus.

Valde autem difficile est determinare, quando praecise obligatio existat omittendi causam ne malus effectus inde sequatur, sed quatuor conditiones sufficiunt pro liceitate:

a.) *Ut causa sit bona vel saltem indifferens.* Ponens enim causam malam, independenter ab effectu peccat. Lectio turpis, quam secutura est pollutio.

b.) *Ut effectus bonus e causa saltem aeque immediate sequatur ac malus.* Bonus effectus mediante malo non potest oriri, quia " nunquam sunt facienda mala, ut eveniant bona." Puella e delicto gravida mortaliter peccat procurans abortum ad vitandam infamiam.

c.) *Ut finis sit honestus* seu ut effectus malus, qui praevidetur secuturus, non intendatur nec approbetur, sed mere permittatur. Aliquis jure suo utens fodit foveam, in quam proximum praevidet lapsurum.

d.) *Ut habeatur ratio proportionate gravis ponendi causam* et permittendi effectum malum. Accedente causa sufficienti cessat lex, vi cujus effectus malus erat vitandus, ut si quis ad vitam servandam occidit invadentem. — Ratio excusans, quae quandoque permittit malum ad bonum effectum obtinendum eo gravior esse debet, quo major est malitia effectus et quo effectus est propinquior causae.

7. Peccatum consistit in actu interno voluntatis, quo malus effectus vel omissio intenditur, non autem in existentia mali effectus vel in omissione operis praecepti. Quando quis culpabiliter ponit vel non tollit causam, eo momento peccat abstractione facta ab effectu secuto. — Gravitas peccati omissionis non desumitur ex gravitate praecepti omissi, sed ex malitia actus voluntatis. — Effectus vel omissio in se non est peccatum, si prava voluntas interim retractata fuit; si autem retracta non fuit, imputatur effectus ut complementum externum peccati.

CAPUT IV

DE IMPEDIMENTIS ACTUUM HUMANORUM

Voluntarium supponit cognitionem intellectus et consensum voluntatis. Quidquid ergo minuit aut tollit cognitionem aut voluntatem, impedit voluntarium, ideoque minuit aut tollit actum humanum. Quatuor sunt impedimenta voluntarii: *Ignorantia* et *concupiscentia metus* et *violentia*. Illae mentis cognitionem, haec voluntatis propensionem et imperium minuunt aut tollunt.

§ 1. *De ignorantia*

1. Ignorantia est carentia cognitionis alicujus rei. Differt ab errore, qui est assensus veritati non conformis. Quae vero de ignorantia dicuntur, etiam de errore valent.

2. Divisio. Ignorantia dividitur:

a.) Ratione *objecti* in ignorantiam *juris* et *facti.* Prior est ignorantia legis; altera est ignorantia rei quoad substantiam vel quoad circumstantiam.

b.) Ratione *subjecti* ignorantia est *vincibilis* quae morali diligentia adhibita vinci potest et non deponitur; vel *invincibilis,* siquis de re ignorata plane non cogitat (*physice* invincibilis) aut si quis adhibita morali diligentia ignorantiam deponere nequit (*moraliter* invincibilis). Moralis diligentia non est summa, quae adhibere potest, sed ea diligentia, quam quilibet ex prudenti judicio hic et nunc ad depellendam ignorantiam adhibere potest et debet.

Ignorantia vincibilis est *affectata,* quando quis directe vult ipsam ignorantiam; *crassa* seu *supina,* quando nulla diligentia ad veritatem indagandam impenditur; *simpliciter*

vincibilis, quando ad eam depellendam sufficiens diligentia non adhibetur.

Invincibilis ignorantia est *antecedens,* quando praecedit voluntatis consensum et omnem voluntariam inquisitionis negligentiam; vel *concomitans,* qua quis ignorat, quod agit, sed adhuc ageret, si non ignoraret.

c.) Ratione *culpae* ignorantia vocatur *culpabilis* et inculpabilis, prout in culpam imputari potest vel non.

3. Ignorantia **invincibilis** sive juris sive facti excusat a peccato, quia tollit voluntarium. Inde pueri vel rudes inhonesta quaedam agentes quorum malitiam nullatenus percipiunt formaliter non peccant.

4. Ignorantia **vincibilis** (nisi sit forsan affectata) non tollit, sed minuit voluntarium. *non tollit,* quia est voluntaria, sed *minuit* quia est voluntaria indirecte et in causa, quae est minus voluntaria quam voluntaria in se. Sic ignorantia in causa tantum voluntaria peccatum aliquantulum diminuit; quare Dominus cruci affixus orabat: "Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt." Utrum vero ignorantia affectata minuat voluntarium,

judicandum est ex motivo ob quod aliquis ex industria ignorantiam quaerit.

§ 2. *De concupiscentia*

1. **Concupiscentia** (alias passio) est motus sensitivi appetitus erga bonum vel malum sensibile per imaginationem apprehensum. Hic motus afficit et animam et corpus. Concupiscentia hic non designat fomitem peccati, de quo loquitur S. Paulus ad Romanos.

2. **Dividitur** concupiscentia in **antecedentem** et **consequentem**. Prior est, quae advertentiam et voluntatis consensum antecedit; sed voluntatem ad consensum trahit. Consequens est ea, quae determinationi voluntatis conjungitur et subsequitur.

3. Concupiscentia **antecedens** minuit voluntarium; imo, quandoque totaliter auferendo usum rationis, ab omni peccato excusat. — Concupiscentia **consequens** nec auget nec minuit voluntarium, sed est signum intensi actus voluntatis. — Concupiscentia **directe excitata** auget peccatum, cum auget voluntarium.

4. Motus **primo primi** concupiscentiae omni culpa vacant, cum non sunt voluntarii.

Motus **secundo** primi, qui aliquatenus sunt voluntarii, aliqua culpa non vacant. — Post rationis advertentiam concupiscentiae motibus **positive** resistendum est nec sufficit se **negative** seu neutraliter habere. Directa resistentia, quae actus contrarios elicit, non requiritur; per se resistentia positiva sufficit, per accidens autem adesse potest obligatio directe resistendi, quando positiva resistentia periculum consensus non sufficienter excludit.

5. **Media** ad motus malos repellendos sunt praesertim vigilantia, oratio, cogitatio de passione Domini et de novissimis, actus amoris erga Deum cum proposito potius moriendi quam peccandi, diversio mentis ad alia.

§ 3. *De metu*

1. **Metus** est trepidatio mentis ob aliquod malum instans vel futurum. Metus solam voluntatem afficit eamque inclinat ad aliquid faciendum, quod alias non faceret.

2. **Dividitur.** *a.*) *Ratione causae* metus est *intrinsecus* quando procedit a causa intrinseca, *e.g.* morbo, vel extrinsecus, quando provenit a causa extrinseca, *v.g.* ab elementis.

b.) *Ratione quantitatis* metus est *gravis*, prout grave malum, difficile avertendum, imminet, uti mors, mutilatio, carcer, gravis infamia; *levis* est, prout leve malum timetur.

c.) *Ratione modi*, quo incutitur, metus est *justus* prout ex causa justa provenit vel *injustus*, qui per injuriam incutitur. Hic non omittendus est *metus reverentialis*, qui habetur, quando quis timet, ne parentes et superiores quoscunque offendat. Potest esse juste vel injuste incussus, prout ejus causa est justa vel injusta.

3. Metus vehementissimus et subito incussus atque rationem turbans tollit voluntarium; quod tamen raro et per accidens tantum contingit. Ordinarie actus positus ex metu etiam gravissimo est *simpliciter voluntarius* et involuntarius secundum quid. Ideo ecclesia semper ut apostatas habuit, qui ex metu tormentorum fidem negarunt, eas tamen mitius tractandos esse voluit. Per se metus non excusat ab obligationibus propter ipsum contractis, nisi obstet lex vel ratio specialis. Ideo per se valet votum ex metu mortis in medio naufragio aut in gravi morbo emissum. De jure tamen positivo aliqui contractus ob

metum gravem et injuste incussum ipso facto irriti sunt. — *Metus levis* in foro externo non attenditur; in foro autem interno minuit voluntarium ideoque gravitatem peccati pro quantitate influxus in voluntatem.

§ 4. *De violentia*

1. **Violentia** est coactio, quae a causa extrinseca alicui infertur, repugnante ejus voluntate. Qui violentiam patitur, exterius non potest aliud agere et interius perfecte repugnat. — Actus liberae voluntatis non possunt esse subjecti violentiae, siquidem contradictio videtur in terminis voluntarium esse coactum; quare nec Deus potest cogere voluntatem. In actus vero imperatos (a voluntate) violentia cadere potest; non solum corporis membra, sed etiam potentiae internae, praesertim phantasia et intellectus a vi externa ad actus moveri possunt renitente voluntate, *e.g.* per influxum angeli boni vel mali.

2. Violentia est **absoluta**, quando quis resistit quantum potest, vel **secundum quid,** si voluntas aliqualiter resistit. — Actus ex violentia *absoluta* positi non sunt imputabiles ob defectum voluntarii. Unde S. Augustinus:

"Si enim homo cogitur, non vult." — Violentia autem *secundum quid* non tollit sed minuit voluntarium. Actus ergo ex violentia *secundum quid* positi plus minusve liberi sunt pro majore vel minore voluntatis repugnantia.

3. Per se sufficit illa *resistentia*, quae utilis censetur ad actionem peccaminosam impediendam. Ad resistentiam inutilem nemo tenetur. Martyres [1] vi ad idolorum templa conducti ipsaque incedentes non peccabant. *Per accidens* etiam inutilis resistentia adhibenda est, ad praecavenda scandala vel ad avertendam religionis injuriam. Si agitur de violentia contra castitatem illata, et adest periculum proximum consensus, omni vi resistendum et etiam clamandum est, quamvis gravissimi mali et mortis periculum immineat; peccatum enim formale absolute vitari debet.[2] Secluso autem periculo proximo consensus non videtur existere obligatio

[1] Paschasius ad S. Luciam dixit: "Iubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus sanctus deserat"; sancta virgo illi confidenter reposuit: "Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam."

[2] Susanna (quae praesumi potest, quod non consensisset) potius mori voluit quam opprimi; quod non obligationis, sed heroicae virtutis erat.

omni vi resistendi et etiam clamandi, si gravissimum malum scilicet mortis periculum immineat.

CAPUT V

DE ESSENTIA MORALITATIS

1. In qualibet actione morali duo elementa distingui possunt, elementum *materiale*, quod est substantia seu entitas actus (*esse physicum*), et elementum *formale*, quod est illud, quo actus est moralis (*esse morale*). Elementum formale seu *moralitas* actus consistit in relatione ad rectam rationem seu ordinem moralem a Deo constitutum. Lex aeterna est primaria, ratio est secundaria morum regula. Moralitas actus non consistit in sola libertate (quae tamen praeexigitur), sed in concordantia vel repugnantia cum lege aeterna.

2. Duae sunt species moralitatis, bonitas et malitia; illa consistit in actus conformitate cum regula morum, ista in defectu ejusdem conformitatis. Quare duo suprema genera actionum distinguuntur: actiones moraliter bonae et malae.

3. Indifferentes actus dari in specie et in *abstracto* omnes conveniunt. Sunt et Theologi (Scotistae), qui affirmant dari actus humanos indifferentes in *concreto* seu in individuo, quae assertio omni rationis umbra caret. Homo deliberate agens semper agit cum fine aliquo, quo actus ejus fit bonus vel malus. Male ageret, si finem indifferentem sibi proponeret.

CAPUT VI

DE FONTIBUS MORALITATIS

Fontes moralitatis sunt elementa, ex quibus bonitas et malitia actuum humanorum componuntur seu quae efficiunt, ut actiones humanae sint vel non sint regulae morum conformes. Tres sunt fontes moralitatis: objectum, circumstantiae et finis. In concreto non requiritur, ut moralitas alicujus actionis ex his tribus fontibus simul derivetur, sed modo ex uno vel altero, modo ex omnibus simul desumitur.—Omnia elementa, e quibus moralitas profluit, debent esse regulae morum conformia; si unum sit difforme, actio fit mala. Unde: "*Bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu.*"

§ 1. *De objecto*

1. **Objectum** actus humani est illud in quod voluntas primario tendit. Dicitur primario, ut distinguatur objectum a circumstantiis et fine. Objectum hic accipitur non *physice* (quo respectu semper bonum est), sed *moraliter* seu formaliter, quatenus concordat vel discordat cum regula morum.

2. Objectum actus est vel **bonum**, si recto ordini convenit (Deum adorare, eleemosynam dare), vel **malum**, si disconvenit (blasphemare), vel **indifferens**, si neutrum obtinet (scribere, ambulare, manducare, fumigare).

3. Objecta bona vel mala possunt esse **extrinsece** et **intrinsece**. Extrinsece bona vel mala sunt objecta quae in se spectata sunt potius indifferentia, sed bona fiunt quia praecipiuntur, aut mala quia prohibentur (jejunium in vigilia; opera servilia die Dominica). Intrinsece bona vel mala sunt ea quae ratione sui seu natura sua, ex exigentia recti ordinis, praecipiuntur aut vetantur. — Objecta *intrinsece mala absolute* vel *conditionate* prout repugnant recto ordini quem Deus mutare nequit vel prout difformia

sunt rectae rationi quae subest Dei potestati propter suum dominium in creaturas.

4. Actus humanus accipit ab objecto primam et essentialem moralitatem, quia potentiae ab objecto per se et primario moventur ad actum.[1] Moralitas actus quae ex objecto desumitur dicitur *objectiva, essentialis* et *substantialis*.

§ 2. *De circumstantiis*

1. Circumstantiae sunt accidentales determinationes actus in ejus moralitatem influentes, seu conditiones quae sunt extra substantiam actus, ipsum actum vero secundum substantiam jam constitutum aliquo modo afficiunt, *e.g.* in furto circumstantia loci sacri vel rei sacrae.

[1] Omnis actus ab objecto primariam moralitatem accipit; omnis enim actio versatur circa aliquod objectum, quod dat ei speciem. "Facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt" (Osea, 9, 10), propter objecta mala quae dilexerant. Ex objecto desumitur bonitas vel malitia actus. Quodsi objectum fuerit indifferens, moralitatem suam accipit ex fine vel circumstantiis. — *Primariam*, quia moralitas objectiva concipitur ante aliam. *E.g.* Furtum in ecclesia ad se inebriandum.

2. Septem communiter enumerantur circumstantiae, quae hoc Tullii versiculo continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis indicat qualitatem specialem operantis.

Quid denotat quantitatem et qualitatem objecti.

Ubi designat qualitatem loci.

Quibus auxiliis significat media et instrumenta operandi.

Cur exprimit finem extrinsecum operantis.

Quomodo significat modum actionis tum interioris tum exterioris.

Quando denotat temporis durationem et qualitatem.

3. Actus humanus moralitatem accipit etiam a circumstantiis, quae objectum in concreto determinant. Hinc fieri potest.

a.) ut actus ex objecto bonus fiat malus ex circumstantiis; *e.g.* orare contra obedientiam, manducare carnes die abstinentiae.

b.) ut actus ex objecto bonus vel malus a circumstantiis accipiat novam bonitatem vel malitiam; *e.g.* qui ex voto a carnibus abstinet, actum temperantiae et religionis ponit; qui

rem sacram furatur, peccat contra justitiam et religionem;

c.) ut actus ex objecto bonus vel malus a circumstantiis fiat magis vel minus bonus aut malus; *e.g.* si pauper dat eleemosynam misericordia major est; si sacerdos peccat malitia major est.

Circumstantiae dividuntur etiam in *aggravantes* eandem speciem vel *imminuentes;* in speciem *theologicam* vel speciem *moralem* mutantes.

Circumstantia *leviter mala* concomitans actum non aufert totam bonitatem actus. Tepida oratio.

4. Actus **externus per se** non addit actui *interno* bonitatem vel malitiam, quia omnis moralitas desumitur ab intrinseco seu a voluntate nec actus externus ullam habet imputabilitatem sibi propriam et distinctam. Vide Genes. 22, 66: Deus Abrahamo dixit: "quia non pepercisti filio tuo," cum tamen filio suo pepercerit.—Matth. 5, 28: Christus dixit: "Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est in corde suo." "Tantum meretur, qui habet voluntatem perfectam aliquod bonum faciendi, quantum si

faceret illud" (S. Thomas). Hic vero non agitur de operibus quae lege praecipiuntur neque de actibus humanis per se inefficacibus neque de valore aut fructu a divina institutione pendente, sed tantum de moralitate formali actionis humanae per se efficacis, sed quae per accidens inefficax manet.

Per accidens tamen et ordinarie de facto, actus externus auget moralitatem, quia per executionem actus internus fit intensior et diuturnior, et saepe ex actu externo oritur aedificatio vel scandalum aliorum.

Ex actu bono exteriori provenit aliquod praemium accidentale quod ab Angelico aureola vocatur; triplex est: Virginum, martyrum et doctorum (qui de carne, mundo et diabolo triumphaverunt).

§ 3. *De fine*

1. Finis est illud, propter quod aliquid fit. Finis principem locum tenet in rebus moralibus, ut jam ex ipsa definitione patet; est enim motivum, propter quod agens operatur.

2. Multiplex est finis:

a.) *Finis operis* seu *intrinsecus* et *finis*

operantis seu *finis extrinsecus*. Ille est, in quem actio ex natura sua tendit, ut levamen pauperis per eleemosynam; posterior est motivum propter quod agens operatur, ut eleemosyna pro peccatis.

b.) *Finis primarius* et *finis secundarius;* ille est causa actus motiva, hic est causa impulsiva.[1]

c.) *Finis ultimus*[2] et *finis intermedius;*[3] prior est ille finis, in quo voluntas quiescit, posterior est ille qui ad alium finem refertur. Plures possunt esse fines intermedii, unus tantum est finis ultimus.

3. Actus humanus moralitatem accipit etiam a fine; nam finis efficit, ut actio ratione hujus ordinationis recto ordini sit conformis vel difformis. Vide verba Domini apud

[1] Ex. Concionator intendit laudem Dei, sed etiam secundarie bonam collectionem pecuniae (Charity sermon). Cantat quis in Ecclesia, ut stipendium accipiat et Deum laudet.

[2] *Ex.* Homo sumendo medicinam intendit sanationem.

[3] *Intermedius* sumit medicinam ut possit adhuc laborare, aedificare domum, sustentare familiam, fieri dives. *Aliud exemplum:* Scribit quis librum ad gloriam Dei (finis ultimus); vult etiam pecuniam sibi procurare, missiones adjuvare, etc.

Matth. 6, 22 et 23. "Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit." Oculus est intentio seu finis operantis.

4. Actus ex objecto bonus novam bonitatem a fine bono et quidem tot species bonitatis accipit, quot sunt fines boni qui ab agente intenduntur. Eleemosyna ad honorem Dei et ad peccata redimenda data triplicem continet bonitatem.

5. Si finis malus est totalis seu unica causa actionis, sive graviter sive leviter sit malus, totum actum corrumpit; quia voluntas intendit malum solum sub ratione boni neque vult nisi malum. Si vero finis leviter malus non est totalis causa actionis, non vitiat totum actum, sed actus fit partim bonus partim malus.

6. Actus ex objecto malus nequit fieri bonus a fine bono. "Non faciamus mala, ut veniant bona" (Rom. 3, 8). Unde S. Augustinus: "Etiam ad sempiternam salutem nullus ducendus est opitulante mendacio." Attamen finis bonus minuit actus malitiam, quia minor est affectus ad malum. Nonnun-

quam omne peccatum aberit ob ignorantiam invincibilem.

7. Actus ex objecto malus a fine malo novam malitiam, imo tot malitias accipit, quot sunt fines mali. Ex. Si quis furatur ad se inebriandum, occidendum vel fornicandum.

8. Actus ex objecto indifferens a fine bono accipit moralem bonitatem. Econtra, actus ex objecto indifferens a fine malo accipit malitiam moralem.

CAPUT VII

DE MORALI BONITATE ACTUUM HUMANORUM

1. Actus humanus est moraliter bonus, si omnibus elementis suis spectatis regulae morum concordat. "Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu."

2. Certum est de fide catholica, dari opera bona atque hominem non peccare in quoque opere bono. — Doctrina catholica est, dari actus naturaliter bonos. — Dogma est, dari actus supernaturaliter bonos atque hominem non posse absque actuali gratia credere et opera salutifera perficere. Nam, "dari opera bona," etc., definivit Conc. Trid. contra Protestantes.

“ Dari actus naturaliter bonos,” docuit contra Bajum et Quesnellum;

“ Dari actus supernaturaliter bonos docuit contra Pelagianos.—Actus, qui a principio supernaturali procedunt, supernaturalia sunt. Si radix est supernaturalis fructus talis esse debet.

3. Non est necessarium ad moralem bonitatem, ut actus humani motivo caritatis informentur neque ut referantur ad Deum ex motivo supernaturali; imo, nec necesse esse videtur, ut omnes actus semper et positive referantur ad finem honestum. Ut actus sit moraliter bonus, potest etiam homo delectationem vel commodum positive velle et intendere, quin de ultiore fine cogitet, dummodo actio ratione ordinata sit. Nempe ut actio sit honesta seu homine digna, non requiritur, ut semper ex fine sit honesta, sed quandoque sufficit, ut ex circumstantiis sit honesta, modo finis non sit malus.

4. *Quaestio.* Quid requiritur, ut actus humanus sit moraliter bonus? Resp. (p. 19) *Triplex* est sententia theologorum.

a.) *S. Alphonsus* et alii requirunt, ut actus referatur ad Deum, finem ultimum. Ratio, quia obligamur praecepto positivo: “ Sive

manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite" (I Cor. 10, 31). Sed hic requiritur solum naturalis et objectiva (negativa) relatio ad Deum. Verba apostoli S. Bonaventura de consilio (non de praecepto) explicat. Si omnia opera referenda essent ad finem ultimum, opera infidelium essent peccata, quod falsum est.

b.) *Thomistae* docent actum humanum, ut sit moraliter bonus, referendum esse ad finem positive honestum. Ratio, quia homo ut ens rationale agere tenetur cum fine honesto, qui finis proprius est enti rationali seu conveniens dignitati hominis. Sed ad hoc non requiritur, ut semper et in omnibus positive intendat (motivo virtutis) bonum honestum.

c.) *Alii* docent necessitatem non existere, ut omnes actus semper et positive referantur ad ultimum finem. Potest quis delectationem positive velle et intendere, dummodo agat juxta normam et praescriptum rationis. Jure agit non more brutorum, sed ut ens rationabile. Qui sic agit, non excludit ulteriorem finem, quod esset peccatum, sc. quaerere commodum propter *solam* voluptatem.

Obj. Christus dicit (Matth. 12, 36): " Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii." Atqui verbum otiosum est illud quod non habet finem honestum. Ergo.

Resp. Verbum otiosum est, quod sine ratione necessitatis aut utilitatis ex mera scurrilitate vel garulitate profertur, et est contra rationis praescriptum; ergo malum (cf. Knabenbauer, Comenent. in Evang. Matth.).

Nota 1. Licere delectabilibus uti ob *solam voluptatem* est propositio ab Innocentio XI. damnata.

Nota 2. Homines hortandi sunt, ut in omnibus actionibus altiorem finem quaerant. Bonitas actus eo major est, quo altior et nobilior finis operantis et quo magis explicita, positiva et actualis ejus intentio.

CAPUT VIII

DE SUPERNATURALITATE ACTUUM HUMANORUM

1. Homo a Deo ad beatitudinem supernaturalem vitae aeternae creatus est. Actus igitur humani, ut ad finem istum supernat-

uralem tendant, supernaturales esse debent. Opus praemiio proportionatum esse debet. *Duae* requiruntur ab omnibus *conditiones*, ut actus humanus sit supernaturalis, scilicet ut actus sit moraliter bonus et a principio supernaturali (a potentia per gratiam actualem elevata) procedat. Plures insignes theologi (Suarez, Lacroix, S. Alphonsus, Mazella, Lehmkuhl) adhuc exigunt pro supernaturalitate actus, ut ejus objectum sit formale seu ponatur propter motivum supernaturale. Quaestio praecipue ad Dogmaticam spectat.

2. Licet vero objectum formale non requiratur ad actum supernaturalem et sufficiat principium supernaturale, actus tamen ex motivo supernaturali eliciti majoris sunt pretii et dignitatis. Quare fideles frequenter monendi ac hortandi sunt, ut actiones suas ex motivis supernaturalibus fidei exerceant bonamque intentionem supernaturalem saepe saepius eliciant. Motivum autem perfectissimum est charitas, qua Deo placere cupimus. Alia motiva supernaturaliter bona sunt: spes beatitudinis aeternae consequendae, timor gehennae et poenarum a divina justitia

infligendarum, honestas virtutis et turpitudo peccati lumine fidei cognita.

CAPUT IX

DE MERITO

1. **Meritum** est illa actus proprietas, qua retributione seu praemio digna est. Hoc loco agitur solum de merito supernaturali actus boni; mali actus valor vocatur demeritum, de quo in tract. de peccatis. — *Causa* meriti est bonitas actus; *effectus* meriti est praemium.

2. Meritum **dividitur** in meritum **de condigno,** cui ex justitia merces debetur cujusque valor est aequalis praemio, et in meritum **de congruo,** cui merces solum ex quadam decentia debetur cujusque valor non est aequalis praemio. Meritum de *condigno* est infallibile (propter promissionem divinam); meritum de *congruo* est fallibile.

3. **Objectum** meriti de **condigno** sunt: augmentum gratiae, augmentum gloriae et vita aeterna. — Primam autem gratiam sanctificantem non possumus mereri; " jus-

tificamur enim gratis per gratiam ipsius" (Rom. 3,24). In patria coelesti gratia transit in gloriam, quare augmentum gratiae est augmentum gloriae. Gratia est semen gloriae; est medium ad finem.

4. Objectum meriti de **congruo** sunt justificatio seu prima gratia sanctificans; perseverantia finalis, reparatio post lapsus, aliis auxilium spirituale. Ad ultimum referant verba S. Thomae: "Quia homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius."

5. Ut actus humani meritum de condigno habeant, requiritur:

a.) *Status gratiae* in persona merenti. Homo non potest fructum bonorum operum ferre, nisi per gratiam sanctificantem manserit in Christo.

b.) *Divina promissio* ex parte Dei praemiantis. Quamvis opus bonum, antecedenter ad Dei promissionem, habeat quamdam proportionem cum vita aeterna, sola tamen promissione divina praemium fit operi debitum et exurgit meritum de condigno.

c.) *Opus ex caritate factum ex parte*

operis.[1] Nullum opus sine caritate valorem coram Deo habet (I Cor. 13): "Si linguis hominum loquor, et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens. — Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest." — Opus debet esse in se bonum et per influxum gratiae supernaturalis positum, ut mereatur de condigno.[2]

Dies et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens!

[1] Quomodo autem opus ex caritate procedere debeat, vario modo explicatur. Quadruplex est sententia theologorum: Dicunt procedere debet ex caritate *actualiter* vel *virtualiter* vel *habitualiter* vel ex *habitu caritatis qui* cum gratia sanctificante semper conjunctus est. Certe actus procedere oportet *in gratia per gratiam.* Saepe tamen elicienda est *intentio bona.*

[2] E praedictis facile solves sequentes casus:

I. Pomponius, candidatus theologiae in aliquo Collegio, saepius ad sacram Communionem accedit, ut Rectori placeat; in studiis frequenter intentione ducitur evadendi magnum oratorem et tandem episcopum; tempore recreationis fumigat ex mera voluptate et tempore studii saepe cantat, ut condiscipulum aedificet eique afferat laetitiam; eleemosynam dat in honorem

TRACTATUS DE LEGIBUS

Actus humani per leges diriguntur ad finem ultimum. Lege enim indicatur bonum faciendum et malum vitandum ideoque ordo moralis servandus. Entia irrationabilia ad finem suum a quo deficere nequeunt, diriguntur per leges physicas, de quibus hic non est sermo. Entia vero rationabilia moventur regulis moralibus ad suum finem, a quo potestate voluntatis abutentes deficere possunt. "Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui; adjecit mandata et praecepta: si volueris mandata servare, conservabunt te." Eccl. 14, 14–16.

Homo est liber; sed Deus ad beatitudinem

S. Antonii eo fine, ut Sanctus iste ipsi pecuniam procuret ad solvenda debita.

II. Sabina, mulier devota, unice confiteri solet, ut a confessario consoletur; die Veneris abstinentiam observat, quia piscibus magis delectatur quam carnibus; saepe intentionem elicit se velle pro Deo pati quidquid omnes martyres passi sunt; per preces quas quotidie fundit se gratiam perseverantiae finalis obtenturam esse firmissime credit.

hominem quasi impellit et dirigit *regulis* efficacibus (legibus).

Regulae illae sunt quasi libertatis complementum et remedium. Quando *in se* et *objective* considerantur, *leges* vocantur; quando vero *subjective* et in sua *applicatione* considerantur, tunc vocantur *conscientia*.

Deus, supremus Dominus omnium, proponit homini finem et media. Inde sequitur pro nobis *obligatio* moralis, quae est quaedam necessitas agendi ne declinemus ab ultimo fine, seu necessitas agendi ne simus "inordinati, infelices, rei coram Deo" (Lessius). — Illa moralis obligatio a Deo solo provenire potest; ipse solus imperio divino voluntatem liberam vinculis constringere potest. Qui gaudet potestate legislativa, illam exercet tamquam potestatem a Deo communicatam. Tractandum est de legibus, quae ut regulae ac normae agendi rationalibus creaturis imponuntur.

CAPUT I

DE NATURA ET DIVISIONE LEGIS

1. **Lex** est "ordinatio rationis ad bonum

commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata." S. Thom. i, ii, qu. 90, a. 4. Dicitur: *Ordinatio*, quia in dispositione obligante consistit. Obligatio moralis est legis elementum formale; unde distinguitur a *consilio*. — *Rationis*, quia actus causativus legis est intellectus in quantum ordinat.[1] — *Ad bonum commune*, indicans causam finalem legis, sc. bonum communitatis tum spirituale tum temporale. — *Ab eo, qui curam communitatis habet*, quia legem ferre est actus superioritatis et jurisdictionis — *Promulgata* ita, ut a subditis cognosci possit; quia non publicata, non obligat.

2. Theologi multa habent de discrimine inter legem et praeceptum. Communis distinctio haec esse videtur, quod lex sit ordinatio stabilis, praeceptum autem ordinatio transitoria. Nihilominus apud moralistas nomen legis et praecepti indiscriminatim adhiberi solet. Quae confusio terminorum

[1] *Ordinatio*, id est, disponere secundum normam. — *Consilium* inducit nullam obligationem nec debet procedere a superiore. — *Rationis*, quia ad intellectum pertinet considerare, an lex ferenda ad finem conducat. Intelligitur ratio practica, cujus est disponere media ad finem.

intelligendum est de praecepto *communi;* nam lex et praceptum *particulare* in pluribus differunt:

a.) *Ratione auctoris;* ad legem requiritur auctoritas publica, ad praeceptum sufficit auctoritas privata (pater, dominus).

b.) *Ratione subjecti;* lex est ordinatio communis, omnia membra communitatis afficiens, — praeceptum respicit personam privatam aut partem communitatis. — Quare lex in bonum commune, praeceptum in bonum privati fertur.

c.) *Ratione loci;* lex directe afficit territorium, — praeceptum directe personam; propterea praeceptum sequitur personam extra territorium, non vero lex.

d.) *Ratione durationis;* lex est stabilior praecepto.—

" Praeceptum veluti ossibus subditi haeret eumque comitatur quocumque abiverit." (Van Den Berghe, *De legibus*).

3. Dividitur lex:

a.) *Ratione auctoris* in *divinam* et *humanam,* prout immediate a Deo vel a legislatore humano procedit. Lex *divina* dividitur in *naturalem* et *positivam,* prout a Deo neces-

sario fertur et lumine rationis promulgatur, vel a Deo libere fertur et diversis modis (externe) promulgatur. Lex divina *positiva* dividitur in *mosaicam* et *evangelicam*. Lex humana dividitur in *ecclesiasticam* et *civilem*.

b.) *Ratione materiae* lex dividitur in *affirmativam* (Honora patrem tuum et matrem tuam; memento ut diem sabbati sanctifices) et *negativam* (non occides), prout refert ad bonum actum eumque ponendum, vel refert ad malum actum eumque omittendum. Lex negativa est *simpliciter prohibens* (matrimonium mixtum), quando actum reddit malum et illicitum, vel prohibens et simul *irritans* (cultus disparitas), quando actum reddit malum et invalidum. — Vis obligandi pro lege positiva et negativa eadem est, efficacia tamen diversa: "Lex affirmativa obligat semper, sed non pro semper; lex negativa vero semper et pro semper."[1]

c.) *Ratione effectus* lex dividitur in *moralem* (seu praeceptivam) et *poenalem*, prout obligat

[1] *Lex affirmativa* . . . semper, sed non pro semper, *i.e.* actus bonus quem praecipit lex affirmativa semper praeceptus est; at non quovis momento, sed tempore statuto exercendus est.

ad sui observationem, vel tantum ad poenam subeundam.

CAPUT II

DE LEGE NATURALI

1. **Lex naturalis** est lex divina, lumine rationis promulgata, praecipiens ordini naturali necessaria. Supposita existentia creaturae rationalis Deus necessario praecipit et prohibet, quae legis naturalis sunt. Lumine rationis cognoscimus alias actiones esse bonas et alias malas atque has esse vitandas illasque faciendas. Quare Apostolus scribit ad Romanos: "Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis." [1]

[1] A Creatore humanae naturae indita est; — anterior, superior et universalior omnibus legibus humanis. Unus quisque *sponte* sentit, differentiam existere inter varias actiones humanas, alias esse bonas alias malas, illas esse praeceptas et has prohibitas ab aliquo ente supremo; — qui praeceptas adimplet et prohibitas omittit, pacem servat, qui contrarium agit, remorsu conscientiae agitatur. Existere legem naturalem Theologi probant quinque argumentis: consensu humani generis, S. Scriptura, auctoritate S. S. Patrum et Ecclesiae, ratione.

2. Materia legis naturalis sunt omnia praecepta, quae ordini morali in natura hominis fundato necessario conveniunt vel repugnant. Lex naturalis versatur

a.) Circa *prima et universalissima morum praecepta* quae primo intuitu innotescunt, *e.g.* bonum est faciendum, malum vitandum; Deus est colendus; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; benefactores sunt honorandi.

b.) Circa *praecepta ex universalibus principiis immediate deducta,* seu *principia secundaria,* ut sunt omnia Decalogi praecepta, si determinationem sabbati excipias.

c.) Circa *praecepta potius remota* seu ea, quae solum per mediatas et remotas conclusiones ex primis vel etiam secundariis morum principiis inferantur, *e.g.* injuria alicui illata non est propria auctoritate vindicanda; contractus usurarius est illicitus. Haec praecepta, cum saepe sint ambigua, fundamentum praebent legibus positivis.

Lex *naturalis* est participatio legis *aeternae* in rationali creatura. Deus cum necessario amat suam rectitudinem, necessario amat (supposita creatione) et efficaciter vult rectitudinem naturae rationalis.

Supremum legis naturalis principium: "Rectum naturae rationalis ordinem a Deo sancitum serva" (Meyer, *Instit. de jure naturali*).

3. Lex naturalis est **duplicis** generis: *praeceptiva*, quam natura absolute exigit, et *suasiva*, in quam natura valde inclinat, sed eam absolute non exigit. Sic polyandria jure naturae *absolute* prohibita est, non autem polygynia; est tamen juri naturali minus conformis quin sit stricte vetita.

4. Prima legis naturalis principia *invincibiliter ignorari* non possunt, quia immediate sunt evidentia. Principia secundaria ad longum tempus invincibiliter ignorari non possunt; saltem remorsus conscientiae incitant ad investigandam veritatem. Praecepta autem naturae *remota* seu per remotas conclusiones cognita etiam ad longum tempus invincibiliter ignorari possunt. In haec praecepta cadere possunt tum actus interni tum externi necnon actus interni, ubi malitia actuum externorum cognoscitur.[1]

[1] Possibilitas ignorantiae invincibilis. Exempl. quoad actus *internos:* pravae cogitationes, desideria inefficacia; quoad actus *externos:* furtum ad levamen pauperum, mendacium officiosum, perjurium ad vitam tuendam. — Imo S. Thomas supponit contingere posse ut quis ignoret invincibiliter prohibitionem fornicationis.

Jephte invincibiliter ignorasse videtur, filiae suae immolationem sibi non licuisse. "Erat homo militaris;

5. **Lex naturalis est universalis**: adstringit omnes et est eadem apud omnes. Haec lex obligat etiam pueros et amentes obligatione imperfecta et in actu primo, et licet ejus violatio non sit peccatum apud pueros et amentes, turpis tamen est, quia continet inordinationem naturae. Sic occidere et blasphemare semper turpe et inhonestum est.

6. **Lex naturalis est immutabilis**, quae respicit essentialem convenientiam vel disconvenientiam cum natura rationali et ultimo fine. Ista lex ne quidem potestate divina mutari potest. Materia legis aliquando mutata est et non ipsa lex. Ecclesia cum certe nunquam in lege naturali dispensare praesumpserit, eam declarare et interpretari infallibiliter potest.[1]

milites autem putant se suis juramentis et votis, etiamsi perperam factis obligari ex religione et veneratione, quam Deo debent." Cornel. à Lap. Ita sentit S. Chrysostomus.

[1] Immutabilis intrinsece et extrinsece, quia nec ipse Deus, supposita creatione, illam mutare queat. Ubi mutatio ab extrinseco facta esse videtur, agitur de additione legi facta vel de mutatione conditionum vel de iis quae lex naturalis suadet ut convenientia. Sic relaxatio voti et juramenti non est dispensatio in lege naturali voti et juramenti adimpletionem exigente,

7. Lex naturalis est fundamentum omnis legis positivae, quia leges positivae praesupponunt principia moralia naturaliter nota. Qui ergo legem naturalem oppugnat, fundamentum omnis legislationis et ordinis evertit atque ruinam societatis molitur.

CAPUT III

DE LEGE POSITIVA

1. Lex positiva a libera Dei voluntate procedit et a conditione naturae humanae non absolute exigitur. Hanc legem Deus instituit, ut quovis tempore homines ad finem supernaturalem pervenirent.[1] Utrumque

sed est inductio cirsumstantiae, sub qua illa non urget. Exempla: jussio Abrahae facta de immolando filio; furtum Hebraeorum apud Aegyptios commissum. Deus supremus vitae et rerum Dominus disposuit de vita et rebus; quo casu non amplius habebatur homicidium et furtum (cf. Bouquillon, p. 212).

[1] Cum Deus hominem destinavit ad finem supernaturalem, ad finem beatitudinis aeternae, legem positivam condere debuit. Ad finem enim supernaturalem neque lex naturalis neque lex humana sufficiens erat. Ab initio Deus legem suam hominibus revelavit; deinde per Moisen externe proposuit; prophetae sensum explicarunt et inculcaverunt; Christus autem confirmationem et ultimam perfectionem adjecit.

testamentum continet leges positivas, quas Deus *observandas* revelabat hominibus. **Vetus lex** non solum exteriores, sed et interiores actus praescripsit et promissionibus potius temporalibus populum ad observantiam legis induxit. Praecepta *moralia* veteris Testamenti omnes, caeremonialia, sacrificia, circumcisio, ablutiones, et *judicialia* quae respiciebant statum politicum nonnisi Judaeos obligarunt; priora nunquam, posteriora pedetentim et diverso modo cessarunt (cf. Müller, Theol. Moralis, I).[1]

2. **Lex nova** seu **Christi** continet praecepta *Theologalia*,[2] quae ad virtutes theologicas

"Multifarie, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime nobis locutus est in Filio," qui praenuntiatus fuerat ut rex et legislator; antiqua mandata a falsa Pharisaeorum interpretatione vindicavit et nova dedit. *Lex divina* est *supernaturalis:* a Deo provenit ut auctore gratiae, revelatione cognoscitur, actus supernaturales praescribit, viribus supernaturalibus adimpletur, finem supernaturalem intendit.

[1] *Lex vetus* abrogata est morte Domini (Thomistae) vel die Pentecostis (Scotistae). Aliquo tempore licite adhuc observari potuit, non prout significabat Christum venturum, sed prout praescribebat modum colendi Deum. Quando autem lex nova per apostolos fuit sufficienter promulgata, tunc coepit fieri vetus lex prohibita ut falsus cultus.

[2] *Theologalia*: "Qui crediderit et baptizatus fuerit,

referuntur; *moralia*,[1] quae decalogo includuntur; *sacramentalia*,[2] quae ad S. Missam sacramentorumque usum pertinent. Praeter praecepta moralia Evangelium tradit *consilia moralia*, quorum praecipua sunt tria, sc. paupertatis, castitatis et obedientiae. — Lex evangelica omnes obligat, sed non aequali modo.[3]

salvus erit" (Mr. 16, 16); "Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo" (Matth. 22, 37).

[1] *Moralia:* apud Matth. 5: "Ego autem dico vobis," etc.

[2] *Sacramentalia:* "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei" (Ioan. 3, 5).

"Hoc est corpus meum . . . hoc facite in meam commemorationem" (Luc. 22, 19).

"Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis" (Ioan. 6, 54).

[3] *Lex evangelica* obligat *omnes*, quia omnes per Christum ad salutem ducendi sunt. "Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis."

Alia praecepta obligant immediate per susceptionem fidei; alia mediate per fidem. In *actu primo* nova lex obligare coepit post promulgationem per apostolos ("in omnem terram exivit sonus eorum"); in *actu secundo* obligat omnes, ad quos pervenit.

Non repugnat, ut Christus de lege sua dispenset. De facto autem nec Christus ipse dispensavit de lege

3. Quamvis Christus ut legislator potestatem in legibus suis dispensandi Ecclesiae suae conferre potuerit, de facto tamen, juxta opinionem communem, illam potestatem nunquam concessit. Est vero ipsa ecclesia infallibilis interpres institutionum et praeceptorum Christi (cf. Bouquillon, Theol. Fundament.).

4. Lex evangelica pracepta *judicialia* non continet, quia Christus Dominus talia *immediate* ipse non condidit, sed illa legiferae potestati Ecclesiae reliquit.

evangelica nec dispensat per suum Vicarium. Christi Vicario non est concessum mutandi institutiones divinas, *v.g.* sacramentorum formam. Non potest demonstrari Papam in praeceptis divinis dispensasse. Omnino decet ut quae Christus tamquam praecipua et fundamentalia per se statuit a Vicario non attingantur. Quae in contrarium alligantur, non sunt dispensationes proprie dictae vel non in lege divina vel non verae. Ex. Dissolutio matrimonii rati non consummati est annullatio actus, non dispensatio. Solutio vinculi inter episcopum et suam Ecclesiam non est dispensatio, sed licentia secundum legem data. Dispensatio in voto solemni non est talis proprie dicta, sed est remissio debiti quoad votum et dispensatio in lege ecclesiastica, quoad voti solemnitatem.

CAPUT IV

DE LEGE ECCLESIASTICA

1. Ecclesia divinitus instructa est plena *potestate legislativa*, nempe directiva et coërcitiva.[1] Est societas perfecta et suprema potestate prorsus independente a gubernio civili.[2] Haec potestas legislativa non universitati fidelium et per istam ministris religionis delata fuit, sed a Christo directe ipsis Ecclesiae rectoribus concessa est.[3]

[1] "*Coërcitiva*": "In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam" (II Cor. 10, 6).—"Durius agam secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus in aedificationem et non in destructionem" (II Cor. 13, 10).

[2] *Gubernium* tamen *civile* potest et debet legum divinarum et ecclesiasticam observationem civilibus sanctionibus tueri. Insuper Societas civilis qua talis Deum colere tenetur et potest ea praescribere quae ad hanc obligationem adimplendam necessaria sunt.

[3] Potestas legislativa non residet in corpore fidelium vel sacerdotum inferiorum, sed est penes pastores. — A Christo summo pastore potestas legislativa communicatur per consecrationem et missionem: per consecrationem communicatur potestas *radicalis*, per missionem auctoritas *actualis*. Auctoritas actualis est *jurisdictio*, — pro *foro interno*, quando refert ad privatam uniuscujusque fidelis utilitatem, — pro *foro externo*, quando ad publicam corporis fidelium utilitatem refert.

2. Potestate legislativa in Ecclesia gaudent:

a.) *Romanus Pontifex* pro universa Ecclesia, cui plena potestas tradita est regendi ac gubernandi omnes fideles totius orbis extenditque ad fines Ecclesiae. Ejus territorium est universus orbis Christianus.

b.) *Concilium oecumenicum* pro tota Ecclesia.

c.) *Concilium provinciale* pro provincia ecclesiastica.

d.) *Synodus dioecesana pro dioecesi.*

e.) *Cardinales* in suis ecclesiis titularibus.[1]

f.) *Episcopi* pro suis subditis. Archiepiscopi, primates et patriarchae pro dioecesibus suffraganeorum nequeunt leges condere, quia non sunt proprie superiores.

g.) *Capitulum generale,* in ordinibus religiosis, vi jurisdictionis a Summo Pontifice concessae. Superiores generales potestatem ferendi leges *ordinarie* non habent. Abbatissae et superiorissae jurisdictionis sunt incapaces ideoque leges condere nequeunt. Attamen, vi voti obedientiae et potestatis dominativae monialibus in casibus parti-

[1] Collegium Cardinalium, sede Pontificali vacante, non valet leges ferre universales.

cularibus praecipere possunt sub gravi vel levi, quae ad regularem disciplinam pertinent.

h.) Capitulum, sede episcopali vacante, leges ferre posse communius affirmatur.

3. Congregationes Pontificiae seu **Romanae**; quarum decreta frequentius citanda sunt in Theologia morali, ordinaria pollent potestate (summo Pontifici subordinata) leges condendi et proposita dubia solvendi. Novem congregationes ennumerantur:

a.) *S. Congregatio Concilii Tridentini,* initio solius Concilii Trid. interpres, nunc quaestiones canonicas generaliter solvit. Tota ex Cardinalibus coalescit.

b.) *S. Congregatio Episcoporum et Regularium,* quae dirimit causas inter Episcopos vel Regulares exorsas. Referuntur, quae ad bonam administrationem dioecesium pertinent.

c.) *S. Congregatio de Propaganda Fide,* quae tractat negotia missionum. Non vero potest leges ferre pro regionibus missionum.

d.) *S. Congregatio Rituum,* quae curat de s. liturgia ac de beatificatione sanctorum.

e.) *S. Congregatio Indicis,* quae pravos libros reprobat ac prohibet.

f.) *Congregatio S. Officii* seu *Romanae et Universalis Inquisitionis*, quae de causis haeresis judicat et puritati fidei invigilat. Praeses est ipse S. Pontifex.

g.) *S. Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum*, quae curat, ne indulgentiae apocryphae vulgentur neque falsae reliquiae colantur, per decretum Pii X. cum S. Rituum Congr. adunata.

h.) *S. Congregatio Immunitatis Ecclesiasticae.* (Haec C. cum S. C. Concilii nunc adunata.)

i.) *S. Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis.* Cujus consilio papa utitur in difficilioribus quaestionibus praesertim cum potestate civili agendis.

4. Decreta Congregationum **generalia**, si ex mandato summi Pontificis edita et rite promulgata fuerint, vim habent legis universalis; imo, decreta S. Congregationis Rituum etiam sine speciali Romani Pontificis approbatione pro tota Ecclesia obligant. Modo a S. Congregationis praefecto et secretario subscripta et ejusdem sigillo munita sint. — Decreta et **responsa** particularia obligant illos, ad quos diriguntur; ad similes casus per se non sunt transferenda, quia

particulares circumstantias respiciunt eorum ad quos diriguntur, quamvis saepe normam agendi in iisdem adjunctis suppeditent quando sint eadem locorum adjuncta. — Declarationes **comprehensivae**, in quibus sensus declaratus a verborum proprio usu et recepta significatione non recedit, vim legis universalis habent; declarationes vero extensivae, quando lex ad alium casum non comprehensum extenditur, vim legis universalis non habent nisi consulto prius R. P. in forma authentica promulgatae fuerint, quia realiter novam legem continent.

CAPUT V

DE OBJECTO LEGIS

1. Objectum legis est, quidquid lex praecipere vel prohibere potest. Ideo lex ecclesiastica, de qua hic praecipue quaeritur, versatur circa ea, quae pertinent ad religionem et justitiam Deo servandam, et respicit cultum divinum, sacramenta, vota et juramenta, loca sacra, bona ecclesiastica, uno verbo, omne quidquid ad finem communitatis christianae obtinendum utile et necessarium est.

2. Ad **valorem** legis requiritur, ut ejus objectum sit:

α.) *honestum,* quia actiones subditorum in finem dirigere debet;[1]

β.) *justum,* quia lex secundum normam justitiae distributivae ferenda est nec licet potestatem legislatoris excedere;[2]

γ.) *possibile,* non solum physice, sed etiam moraliter, cum ad impossibile nemo tenetur;

δ.) *utile* communitati quoad modum et materiam legis, quia potestas ferendi leges in bonum commune concessa est. Lex quae respicit tantummodo utilitatem principis vel paucorum non est lex valida. — Ubi incipit fieri inutilis nel nociva, amittit obligationem.[3]

[1] Lex non potest praecipere actiones malas; quando tales praecipit, ei obtemperandum non est. In dubio praesumenda est honestas legis. Actus *indifferentes,* pro motivo bono, prohiberi vel praecipi possunt: abstinentia a carnibus, stare inter orationem et genuflectere.

[2] Lex est onus quod imponitur subditis; servanda est aequalitas inter onera et facultates.

[3] "Quoad modum," an mere poenalis vel praeceptiva, an prohibens vel irritans; "quoad materiam," an obligans sub gravi vel sub levi.

3. Multum disputatur inter theologos, utrum humana lex praecipere possit *actus internos*.[1] Certum est legem civilem non posse praecipere tales actus. Omnes admittunt Ecclesiam posse praecipere actus mixtos uti dignam communionem per talem confessionem, et etiam indirecte actus mere internos. *Probabiliter* Ecclesia potest praecipere et quidem *directe* actus mere internos; et de facto praecipit, utens potestate sua legifera vere illimitata.

4. Actus heroicos lex humana tum civilis tum ecclesiastica *generatim* praecipere nequit, quia talis lex non cederet in bonum commune. Aliquando tamen actus heroici juste praecipiuntur propter bonum commune vel propter statum libere amplexum, cui annexa est obligatio valde difficilis. (Moniales ad

[1] *Communis* adhuc sententia tenet Ecclesiam non posse actus mere internos praecipere. Ecclesia est societas supernaturalis, ad sanctificationem animarum instituta; possidet jurisdictionem quoad actus internos, dispensat in votis internis eaque irritat; concedit indulgentias sub conditione actus interni; imponit assensum internum et religiosum in actu fidei; praecipit votum castitates in illo qui noluit illud emittere in receptione subdiaconatus. Confessarius imponere potest actus mere internos, *v.g.* piam meditationem.

perpetuam clausuram; religiosi ad servitium infirmorum.)

5. **Lex non respicit retro**, quia lex est regula agendorum et actus futuros respicit.

CAPUT VI

DE SUBJECTO LEGIS

1. **Subjectum** legis sunt soli subditi legislatoris, cum lex nonnisi in subditos ferri potest.

2. **Lege naturali** omnes homines obstringuntur, etiamsi rationis usu habitualiter careant, quia lex naturae pro omnibus est lata. Unde non licet pueros aut perpetuo amentes ad peccatum incitare, *v.g.* ad blasphemiam, furta, turpia, etc.

3. **Lege positiva** divina omnes tenentur, quatenus data est pro omnibus hominibus. Soli autem fideles tenentur lege, quae data est fidelibus. Sic omnes tenentur ecclesiam ingredi, baptizari, leges circa unitatem et indissolubilitatem matrimonii servare, sed fideles soli tenentur confiteri, Eucharistiam suscipere, extrema unctione liniri.

4. **Lege humana** obligantur omnes et soli subditi, qui usum rationis consecuti sunt.

Lex subditos solos afficere et ligare atque eorum actiones dirigere potest. Licet dare carnes die Veneris infantibus et perpetuo amentibus. Infideles non debent abstinere a servilibus operibus diebus festivis. Non licet dare carnes diebus prohibitis iis, qui ordinarie sunt rationis compotes, uti ebrii et delirantes.

5. **Haeretici**, schismatici et apostatae *per se* legibus ecclesiasticis tenentur, quia per baptismum Ecclesiae jurisdictioni sunt subjecti. Per se non licet illis dare carnes diebus prohibitis. Plerumque vero nesciunt se legibus Ecclesiae teneri ideoque non videntur peccare transgrediendo leges ecclesiasticas. Idem dic de excommunicatis, qui, quamvis sint bonis spiritualibus privati, ab oneribus portandis non semper eximuntur.

6. **Legislator**, qui est persona singularis ac solus leges ferre potest (ut papa, episcopus), non tenetur *directe* legibus suis, sed solum aequitate et decentia.[1] Bono exemplo bonum

[1] Nec papa nec episcopus incurrit censuras a se vel a suis praedecessoribus latas. — Solum inferior a suo superiore, nemo autem a se ipso vere et directe obligari potest.

commune procuratur; quare communitati se conformet legislator. Secluso scandalo graviter non peccat transgrediendo legem a se latam et accedente rationabili causa a lege facile excusatur. — Si vero legislator est collegium plurium (ut collegium deputatorum, synodus provincialis, capitulum generale), omnes legibus suis subjiciuntur. Sic Praeses S. F. A. S. tenetur legibus reipublicae, metropolitanus legibus synodi provincialis et praelatus regularis legibus capituli generalis.

7. **Pueri** [1] post septennium completum tenentur ecclesiasticis legibus eorum aetati convenientibus: audire missam, confiteri, abstinere a carnibus. Non tenentur probabiliter ante septennium, etiamsi usu rationis potiuntur, quia lex attendit communiter contingentia. *In praxi* autem pueri ante septennium exercendi sunt in legibus Ecclesiae observandis.

[1] *Pueri* proprie sunt, qui septimum aetatis annum nondum impleverunt; post septennium expletum vocantur *impuberes*, pueri quidem usque ad 14., puellae usque ad 12 aetatis annum completum; completa hac aetate puberes vocantur.

Impuberes non incurrunt ordinarias poenas ecclesiasticas.

8. **Clerici** tenentur legibus civilibus, quae immunitati ecclesiasticae non adversantur, quia sunt membra societatis civilis. Observare igitur debent leges codicis civilis circa contractus, testamenta, tributa, etc. Obligantur autem clerici solum indirecte legibus civilibus. Contra voluntatem ecclesiae potestas civilis clericos legibus suis nequit subjicere.

9. **Peregrini** non tenentur legibus particularibus domicilii sui. Tales dicuntur peregrini qui habentes alicubi domicilium vel quasi domicilium extra illud versantur, animo solum ad breve tempus manendi. Leges territorii extra illud non extenduntur. Jejunium particulare non afficit aliquem extra dioecesim degentem. — Peregrini non obligantur legibus particularibus loci, in quo versantur, quia non sunt subditi. Non gaudent privilegiis sui domicilii, gaudent autem privilegiis loci in quo versantur. Legibus communibus quae vigent in eo loco ubi versantur, peregrini omnino tenentur. Non existit obligatio idem praeceptum commune bis adimplendi. Qui Coloniae jejunavit in vigilia S. Petri, in Belgio (ubi jejunium

translatum est) non tenetur sabbato sequenti jejunare.

10. Vagi, qui nullibi domicilium nec quasi domicilium habent, probabiliter non tenentur ad leges locales nisi in duplici casu: quando leges locales respiciunt contractus ("locus regit actum"), et quando transgressio legis localis vergeret in detrimentum loci; ut si prohibitum esset merces exportare vel ratione securitatis arma gestare.

Nota. *Domicilium* acquiritur *voluntate* in eodem loco manendi perpetuo, et *facto*, quo quis habitare incepit. Voluntas illa variis modis probari potest.

Quasi-domicilium comparatur voluntate manendi per sex menses, et facto habitandi in loco. A primo die quo duo haec concurrent incipit quasi-domicilium. Domicilium vel quasi-domicilium amittitur *actuali derelictione loci* et *animo* se transferendi alio.

In S. F. A. S. habetur quasi-domicilium in ordine ad matrimonium pro iis, qui in eodem loco commorati sunt per spatium unius mensis (cf. De Becker, De Sponsalibus et Matrimonio).

CAPUT VII

DE LEGIS PROMULGATIONE ET ACCEPTATIONE

1. **Promulgatio** legis est publica ejus propositio a legislatore communitati facta. Differt a divulgatione et a notitia legis. Promulgatio omnino necessaria est, ut obligationem in subditos inducat. In foro externo cognitio legis praesumitur post (certum) promulgationis tempus; in foro autem interno violatio legis nulli imputatur qui illam ignoraverit.

2. **Modus** promulgationis diversus est et pendet a voluntate legislatoris, cujus est statuere, quid requiratur et sufficiat, ut lex ad notitiam communitatis pervenire possit. Lex episcopalis sufficienter in civitate episcopali aut in ecclesia cathedrali promulgatur vel in folio dioecesano. R. Pontifices intendunt leges suas generatim vim suam habere promulgatione facta voce praeconis et affixione Romae in locis publicis. Excipe tamen leges irritantes contractus natura sua validos. Lex obligat eos, qui notitiam legis

obtinuerunt.[1] In foro externo quilibet praesumitur post bimestre cognitionem legis habere; in foro vero interno cognitio legis ad reatum requiritur.

3. **Acceptatio** populi ad valorem legis nullatenus requiritur; secus rueret potestas legifera. Quando tamen lex rite promulgata non acceptatur, primi legem transgredientes peccant, sed legitima praescriptione consuetudo contraria oriri potest, quae legem non servantes excusat.

4. **In certis adiunctis**, in quibus lex aequo durior videatur, appellatio fieri potest ad legislatorem; interim lex tamquam suspensa haberi potest. Sic episcopi, quando legem aliquam suae dioecesi minus convenientem vel noxiam judicaverint recurrere debent ad S. Pontificem, qui interim nolle obligare censetur.

[1] *Specialis* modus promulgationis jure naturali determinatus non est; relinquitur Superiori determinandus. — *Non* requiritur ad *vim* legum pontificiarum ut promulgentur in provinciis et dioecesibus. — Pontifices aliquando exprimunt terminum inchoandae obligationis. Spatium duorum mensium sufficiens videtur, ut lex rite promulgata ab omnibus cognosci possit. In curia Romana post duos menses quilibet praesumitur habere cognitionem legis.

5. Nota de Foro Ecclesiastico.

Forum est locus exercendarum litium seu negotiorum, quae auctoritate judicis finiuntur. Est vel *externum* vel *internum*.

Forum externum vocatur illud in quo negotia pro publica utilitate corporis fidelium expediuntur. Dicitur judiciale seu contentiosum, si juxta formam canonicam proceditur, ut in processibus ecclesiasticis; conceditur tunc *appellatio* ad Superiorem. Quae non expediuntur in forma judicii, non admittunt appellationem sed tantum *recursum* (quo effectus sententiae non suspenditur). Casus censetur ad forum externum judiciale deductus, quando coram judice probatus est saltem per unum testem. Facultas pro foro externo concedenda et exequenda est, ita ut ejus acceptatio et legitimus usus coram Superiore rite probari possint.

Forum internum seu conscientiae vocatur illud, in quo negotia ad conscientiam seu ad salutem spiritualem singulorum pertinentia privatim tractantur. Est vel *poenitentiale* vel *extrapoenitentiale*. In foro interno poenitentiali requiritur confessio aliquomodo incoepta; non requiritur absolutio a peccatis

ad *valide* dandam absolutionem a censuris, dispensationem, tollendam reservationem. — Facultates pro foro interno sufficiunt et propter scandalum requiruntur in absolutione a censuris ad forum externum contentiosum non deductis nec facile deducendis, in dispensationibus ab impedimentis, irregularitalibus, votis occultis. Conceduntur fictis nominibus, et si data est facultas in Sacramento Poenitentiae exequenda, post usum litterae dilaniandae sunt.

CAPUT VIII

DE INTERPRETATIONE LEGIS

1. Interpretatio est legis genuina explicatio seu sensus legis declaratio. Finis interpretationis est quaerere et determinare voluntatem legislatoris, quam habuit in condenda lege. Mens autem legislatoris e contextu, objecto, fine caeterisque adjunctis legis determinari potest.

2. Dividitur interpretatio in *authenticam,* quae fit ab ipso legislatore ejusve successore vel ab alio, cui legislator potestatem interpretandi contulit; in *usualem,* quae fit a

subditis usu et consuetudine; in *doctrinalem*, quae fit ope scientiae et experientiae, a viris doctis secundum regulas.

3. Interpretatio authentica vocatur *comprehensiva*, quae declarat lege comprehensa, nec addit nec demit (sic nomine filii intelligatur etiam filius illegitimus), vel *extensiva*, quae legem ultra usitatum verborum sensum et legislatoris mentem extendit (ut si nomine filii intelligatur nepos); haec est legis extensio et nova legislatio, quae nova promulgatione indiget.

4. Authentica interpretatio habet vim legis, non vero interpretatio *doctrinalis*, cum ista non procedat a potestate legislativa.[1] Potestate authenticae interpretationis utuntur duae Congregationes Romanae: *S. Congregatio Concilii* et *S. Congregatio Rituum.* Valor interpretationis doctrinalis pendet a pondere rationum et auctoritate doctorum, et fit

[1] Interpretatio *doctrinalis* est necessaria, sed periculis plena. Timendum est ne paulatim interpretes sensum legis pervertant ei substituendo proprios conceptus. Quapropter celebres legislatores prohibuerunt, ne in leges suas ederentur Commentarii. — Emisso primo valde succincto commentario in codicem civilem Gallorum, Napoleo exclamavit: "Actum est de codice meo."

secundum regulas a canonistis traditas (cf. Bouquillon, p. 290).

5. **Epikeia** (ἐπιείκεια, aequitas) est "benigna legum interpretatio secundum aequum et bonum, declarans casum aliquem particularem ex mente legislatoris ob suas circumstantias speciales sub lege universaliter lata non esse comprehensum" (Reiffenstuel). Epikeia non explicat legis verba obscura, sed declarat mentem legislatoris, quae talem vel talem casum non voluerit comprehendi in lege. Non licet uti epikeia, nisi lex observanda redderetur damnosa vel nimis dura et nisi ex circumstantiis judicari possit legislatorem in hoc casu noluisse obligare. — In foro civili nulla admittitur epikeia pro lege civili.

CAPUT IX

DE VI ET OBLIGATIONE LEGIS[1]

1. **Quaelibet lex obligat** in conscientia ad aliquid faciendum vel omittendum. Etenim

[1] Undenam pendet *gravitas* obligationis legum ecclesiasticarum ?

Resp. Dr. Bouquillon. Gravitas obligationis pendet *essentialiter* a gravitate *materiae.* Superior non tantum

lex est vinculum morale, quo subditi superioribus per obedientiam obstringuntur. Etiam lex humana in conscientia et sub peccato obligat. Quare S. Paulus scribit ad Romanos: "Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam."

2. **Omnis obligatio** legis pendet a voluntate legislatoris, quae voluntas dignosci potest ex natura et verbis legis, ex natura poenae, ex consuetudine; consuetudo est optima legum interpres.

illicite, sed etiam invalide, praecipit sub gravi in materia levi. — Materia autem gravis judicatur ratione *finis* ad quem dirigitur et *aptitudinis* quam habet ad hunc finem. Nimirum, quando finis aliquis specialis est magni momenti, valde utilis, moraliter necessarius, et quando res vel actio multum conducit ad hunc finem obtinendum, materiae gravitas existit: sic ad vitam christianam maximi momenti sunt publicum Dei servitium, poenitentia, mortificatio: ad haec autem multum respective conducunt festorum observatio, abstinentia et jejunium; proinde festorum observatio, jejunia et abstinentia sunt materiae graves; item magni momenti sunt cleri sanctitas et zelus, ad quae multum conducit coelibatus; cultus dignitas ad quam multum conducit usus sacrorum paramentorum; misericordiae divinae deprecatio pro populo, ad quam multum conducit sacerdotum oratio publica et sacrificium: hinc observatio coelibatus, usus paramentorum, recitatio breviarii, celebratio pro grege sunt materiae graves.

3. Legislator **materiam gravem sub levi** ex fine speciali imponere potest, quoties sub hac levi obligatione finis intentus efficaciter obtinetur. Ut enim lex sub gravi obliget, duo requiruntur: *materia gravis* et *intentio legislatoris* sub gravi obligare volentis; ubi haec intentio obligandi sub gravi deest, gravis obligatio nequit existere.

4. Legislator **materiam levem sub gravi** imponere non potest, quia foret onus intolerabile et multiplicarentur peccata. Materia autem simpliciter (in se) levis evadere potest gravis ex fine vel ex adjunctis. Ex. Omissio infusionis aquae in calicem.

5. Lex, quae fundatur in *praesumptione periculi communis*, non cessat obligare in casu particulari, in quo non est periculum; *v.g.* lectio libri prohibiti. Lex vero, quae fundatur in *praesumptione facti*, non obligat si factum non subsistit, quia praesumptio cedit veritati; *e.g.* damnum ab animali tuo non illatum. In primo casu praesumptio semper remanet vera; in secundo, facto non existente, praesumptio evadit falsa.

6. Lex obligat ad sui cognitionem et observationem, ideoque ad media ordinaria

adhibenda et ad impedimenta praecavenda ut ejus observatio possibilis evadat. Excommunicatus debet absolutionem petere, ut possit S. Communionem paschalem recipere. — Puella non debet sine justa causa famulatum accipere in domo, ubi ad missam et confessionem ire nequit.

7. **Contemptus formalis** legis etiam in re levissima est peccatum mortale, quia est contemptus auctoritatis qua talis et recidit in Deum omnis auctoritatis fontem. "Qui vos spernit, me spernit." Materialis contemptus legis (qui in omnibus peccatis requiritur) est mortalis vel venialis pro quantitate materiae (cf. Müller, I, 234). *Formalis* contemptus habetur quando quis legem transgreditur, quia non vult esse subjectus legi ex indignatione in ipsam legem vel legislatorem. *Materialis*, quando quis auctoritatem legis aut superioris admittit, sed obsequium denegat ex pravo animi affectu, ex amore proprio.

CAPUT X

DE OBLIGATIONE LEGIS POENALIS ET IRRITANTIS

1. **Lex poenalis** est, quae solum obligat ad poenam a transgressoribus subeundam.[1] Dicitur poenalis *mixta*, quando est praeceptiva et simul poenalis. Lex poenalis est vera lex, cum obliget in conscientia ad poenam subeundam.

2. In **jure ecclesiastico** nullae existunt leges mere poenales, si regulas quorumdam Ordinum religiosorum excipias. Quia Ecclesia caret mediis externis, quibus punire potest transgressores. In *jure civili* plures sunt leges mere poenales, quibus subditi solum timore poenae ad observationem ligantur. Tales sunt leges tributarum et de exportandis et importandis mercibus; statuta quae ad ordinem communitatis externum referuntur (police regulations); leges de caesione lignorum, de venatione, piscatione, pastione in silvis.

3. **Potestas civilis** jus habet ferendi leges

[1] Leges *poenales* non obligant ad faciendum vevitandum quod per legem statuitur, sed solum ad acceptandam poenam ut justam.

praeceptivas seu quae in conscientia obligant, cum suam potestatem a Deo acceperit. Tales sunt leges quae legem naturalem et positivam confirmant vel referuntur ad contractus et officia publica. — Hodie a guberniis multae conduntur leges mere poenales; in mediis physicis confidunt ac obligationem internam vix agnoscunt.

4. **Lex irritans** dicitur, quae statuit aliquem actum vel ab initio vel post sententiam judicis esse invalidum. Hinc *duplex* irritatio: *lata* a lege et *ferenda* a judice, prout actum ipso facto irritum vel solum post sententiam judicis rescindibilem facit. Lex irritans praecipue fertur intuitu boni communis et potissimum versatur circa contractus, matrimonium, vota, juramenta, professionem religiosam, electiones et beneficia.

5. Lex **irritans poenalis** vocatur, quae irritat actum in poenam delicti (ut impedimentum criminis); vel *mere irritans*, quae actum simpliciter invalidum declarat ob bonum commune (professio religiosa ante 16 annum emissa). — *Disputatur* inter theologos, num leges irritantes civiles actum invalidum reddant etiam in conscientia.

6. Lex **mere irritans** effectum suum semper obtinet, etiamsi invincibiliter ignoretur vel actus ex gravi metu ponatur, quia bonum commune exigit, ut lex effectum habeat; e. gr. matrimonium cum impedimento dirimente contractum. — Quando lex irritans actum carentem forma legali sine gravi incommodo *communi* servari nequit, cessat irritatio; probabiliter etiam cessat, quando adest impossibilitas particularis singulorum.

CAPUT XI

DE MODO SATISFACIENDI OBLIGATIONI LEGIS

1. Lex **negativa** (prohibens) impletur sola omissione actus prohibiti. Necesse non est, ut quis cogitet de praecepto, modo non habeat intentionen contrariam; *e.g.* abstinentia a carnibus. Qui abstinet quia carnes non habet, adimplet legem.

2. Ut lex **positiva** impleatur, requiritur, ut opus praescriptum ponatur humano actu seu modo, *i.e.* cum advertentia et voluntate. Ebrius aut dormiens aut vi coactus in ecclesia Missam non audit. — Requiritur volun-

tas ponendi actum praescriptum, non autem intentio satisfaciendi praecepto; sufficit, ut aliquid fiat, *quod* praeceptum est, non *quia* praeceptum est. Ignorans diem Dominicam satisfacit Ecclesiae praecepto audiendo Missam. Multo minus intentio obtinendi finem a legislatore intentum requiritur. Ex. Jejunium ex avaritia vel gula. "Finis praecepti non cadit sub praecepto." — Si quis ponit opus praescriptum cum intentione non satisfaciendi praecepto, vere satisfacit quando obligatio legis dependet ab intentione legislatoris; secus si dependet ab intentione agentis, ut in voto aut promissione.

3. **Plura praecepta** uno actu impleri possunt, nisi constat aliam fuisse mentem legislatoris quae mens non esse contraria videtur, seu si cadant in eamdem materiam ob idem finem. Ex. Recitatio officii ratione ordinis et beneficii. Viaticum tempore paschali utrique praecepto satisfacit.

4. **Diversa praecepta** eodem tempore impleri possunt, nisi opera praecepta se invicem impediant. Potes audire missam ex praecepto Ecclesiae, ex voto, ex poenitentia et simul recitare horas canonicas. Utrum tres missas

pro poenitentia injunctas simultanee audire potes, a mente confessarii dependet.

5. Quando **tempus** ad *legem satisfaciendam determinatum* fuit stricte observandum est; *e.g.* abstinentia die Veneris, jejunium in vigilia; illud tempus anticipari nequit. Tempore elapso cessat obligatio, si tempus determinatum fuerit *ad finiendam obligationem;* non cessat, si determinatum fuerit ad *urgendam obligationem.* Ex. Jejunium die vigiliae; communio tempore paschali.

6. Qui **totam legem** implere nequit, ad nihil tenetur, si materia praecepta est *indivisibilis*, ut peregrinatio; tenetur vero ad partem si materia est *divisibilis* et *salvatur ratio praecepti in parte,* ut recitatio unius horae canonicae. Si quis dubitat, an partem implere possit, plerumque ad nihil tenetur ob ansam scrupulorum. Ex. Infirmus, qui dubitat an officium recitare possit.

7. Qui **lege jam urgente praevidet impedimentum** quominus eam postea impleat, legi prius satisfacere debet. Qui serius horas recitare nequit, tenetur prius; sed anticipare non tenetur.

8. Concurrentibus duobus praeceptis, quae

simul impleri nequeunt, regula observanda est: "Praeceptum majus minori praeferendum est"; sic naturale praeceptum praevalet positivo, positivum humano, ecclesiasticum civili, negativum affirmativo.

CAPUT XII

DE CAUSIS LEGIS OBLIGATIONEM SOLVENTIBUS

1. **Causae a lege deobligantes** sunt *eximentes* (dirimentes), quae aliquem subtrahunt dominio legis, vel *impedientes* (excusantes), quae aliquem, etsi maneat subjectus legi, a legis impletione impediunt. Causae impedientes sunt ignorantia et impotentia; ignorantia invincibilis et impotentia physica ab obligatione legis excusant: "ad impossibile nemo tenetur."

2. **Impotentia moralis** (quae est periculum gravis mali vel incommodi) nunquam excusat a lege naturae *negativa,* quia tali lege prohibita sunt intrinsece mala, ut blasphemare, perjurare, fornicari, mentiri; a quibus peccatis neque periculum mortis excusat.

3. Impotentia moralis quandoque excusat a lege naturae *affirmativa* quia talis lex

semper, sed non pro semper obligat natura sua. Nemo tenetur cum periculo vitae servare depositum, implere votum, ad restitutionem illico praestandam, ad correctionem fraternam.

4. Impotentia moralis excusat a lege *positiva divina,* quia Deus benignissimus sciens imbecillitatem nostram non censetur cum tanto onere obligare. Praeceptum integre confitendi non obligat cum gravi incommodo. Sic Christus excusat David panes prohibitos manducantem.

5. Impotentia moralis excusat a lege *positiva humana* nisi violatio legis cederet in contemptum religionis (quod esset contra legem naturae) aut in damnum boni communis.

6. Licitum est legi humanae directe et proxime apponere *causas eximentes,* quia lex obligat subditum tamdiu quam subditus maneat; non eum obligat ut maneat. *Excipe* leges quoad reservationem et clandestinitatem matrimonii (cf. Müller, I, 253).[1]

[1] Clemens X, in Bulla "Superna," interdicit poenitenti alio abire in fraudem reservationis. — Urbanus VIII interdicit sponsis abire in locum ubi Con. Trid, non est promulgatum, ut ibi matrimonium contrahant.

7. Licitum est humanae legi *indirecte* apponere causas *remote impedientes*, quia qui indirecte tales causas ponit, legem violare non intendit. Numquam licet *directe* has causas ponere. Causae etiam debent esse *remote* impedientes, ita ut lex solum post notabile tempus urgeat. Ubi lex jam proxime urget, tenetur quis auferre et praecavere impedimentum saltem proxime impediens. — Peccat, qui sine justa causa iter ingreditur sabbato praevidens se proxima die missam non esse auditurum. Peccat qui die jejunii se labore impotem reddit ad jejunandum. Peccat excommunicatus qui absolutionem procurare negligit, ne teneatur ad implendum praeceptum paschale.

CAPUT XIII

DE DISPENSATIONE LEGIS

1. **Dispensatio**[1] est actus jurisdictionis, quo lex in particulari casu a legitima auctori-

[1] *Sensu primitivo,* dispensatio (οἰκογομια) est prudens familiae administratio, aequa distributio rei communis secundum necessitatem cujusque. In sensu *supernaturali,* dispensatio est procuratio salutis humanae per Dei gratiam; quare incarnatio et redemptio vocantur dispensatio christiana.

tate relaxatur.[1] Explico: *Actus,* fit scienter et volenter; *jurisdictionis,* in subditos, distinguitur a potestate dominativa, qualem pater habet in filios, maritus in uxorem; *in particulari casu,* ut distinguatur a derogatione et abrogatione, quibus lex pro omnibus cessat ex parte vel ex toto. — Dispensatio differt a *licentia,* quae legi est consentanea ac ejus adimpletio; a *declaratione,* qua judicatur aliquem casum in lege non contineri.

2. Dispensatio est *valida* vel *invalida,* prout ab obligatione legis eximit vel non; *licita* vel *illicita,* prout fit juxta vel contra conscientiam; *subreptitia* vel *obreptitia,* prout in petitione verum quid tacetur vel falsum quid asseritur. Petitio non est subreptitia, si fit dispensatione negata prius ab eodem superiore vel ab alio superiore antecessore vel ab inferiore, nisi Summus Pontifix expresse restringat facultates episcopi, v.g. indispensandis impedimentis matrimonii.

3. **Potestas dispensandi** dicitur *ordinaria,* quando habetur jure proprio seu in ipso officio continetur, et *delegata,* quando habe-

[1] Est provida obligationis suspensio pro aliquo tempore vel quoad aliquas personas.

tur ex beneficio et commissione alterius, et *quasi-ordinaria,* quando in officio non continetur, sed ex dispositione juris cum munere semper conjungitur. — Ipsa facultas dispensandi est res *favorabilis* et interpretationem latam admittit; dispensatio vero, cum sit res *odiosa,* generatim est strictae interpretationis.

4. **Legislator** valide dispensare potest, etiam sine justa causa, in lege propria vet praedecessorum suorum. Res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. *Inferior* autem nec valide nec licite dispensare potest in lege superioris, nisi ab eo potestatem delegatam acceperit.

5. **Romanus Pontifex** dispensare potest in omnibus legibus *ecclesiasticis,* sive latae sint in concilio oecumenico sive ab alio pontifice sive ab apostolis. Insuper dispensare potest ex plenitudine potestatis in quibusdam legibus *divinis,* ubi obligatio juris divini pendet ab humana voluntate, ut in votis, in juramentis, in matrimonio rato non consummato, et in professione religiosa; quae vero dispensatio est nulla, si fiat sine justa causa. In istis dispensationibus summus Pontifex

legem divinam naturalem non relaxat, sed mere declarat Deum in mutationem voluntatis humanae consentire. Propter inconstantiam ac imprudentiam hominum talis potestas dispensandi (seu potius interpretandi) legem divinam Romano Pontifici, patri fidelium, necessaria est, secus similes obligationes forent hominibus nocivae.

6. Episcopus dispensare potest potestate *ordinaria* in omnibus legibus et statutis suae dioecesis, et *potestate quasi-ordinaria* quoad constitutiones pontificias et leges communes in casibus particularibus et frequenter occurrentibus, quae sunt jejunium, abstinentia, observatio festorum, recitatio officii, vota non reservata, — quando difficilis est recursus ad S. Sedem et periculum in mora, in impedimentis matrimonii, irregularitatibus, votis reservatis — quando dubitatur num res indigeat dispensatione — quando facultas dispensandi in ipso jure communi conceditur. In his casibus potest episcopus potestatem delegare aliis, quia facultas aquivalet ordinariae potestati. — Episcopus potest dispensare cum subditis etiam extra dioecesim degentibus, cum iis qui quasi-domicilium

habent, cum vagis et cum peregrinis (sed tantum in casu necessitatis, si ad proprium episcopum recurrere nequeunt); tunc proprius episcopus consentire videtur.

7. **Parochus** ex speciali privilegio ve legitima consuetudine potest dispensare cum ovibus suis in legibus jejunii, abstinentiae et observationis festorum seu potius in operibus die festo prohibitis. Confessarii per se dispensare nequeunt; possunt vero doctrinaliter declarare poenitentem in casu particulari non teneri lege.

8. **Dispensans** secum ipso dispensare potest, quia dispensatio est actus jurisdictionis voluntariae, qui non requirit distinctionem personarum.

9. **Delegatus non potest subdelegare**, nisi facultas subdelegandi ei expresse concessa sit vel delegatus fuerit ad universitatem causarum per modum officii. Ubi S. Sedes in facultatibus extraordinariis, quas episcopis concedat ad quinquennium vel decennium, non exprimit, potestas subdelegandi non est praesumenda.

10. Dispensatio impetrari et concedi potest etiam pro *absente* et *ignorante*, imo et

pro invito. Generatim dispensatio concessa, ut effectum obtineat, acceptari debet; id certum valet pro dispensationibus matrimonii.

11. **Causae** allegari debent, quando petitur aliqua dispensatio. Causae istae debent esse proportionatae gravitati legis et sufficientes, non adeo tamen graves, ut per se a legibus excusent. Difficile est determinare gravitatem causae; major causa requiritur pro impedimenti dirimentibus quam pro impedientibus.

Triplex generatim assignatur causa (ratio) dispensandi: *charitas,* quae respicit causam privatam et intrinsecam; *utilitas,* quae respicit extrinsecam et publicam, ut matrimonium inter nobiles "propter foedus pacis servandum"; *necessitas,* quae respicit infirmitatem sive specialem sive potius generalem, *v.g.* publicam perturbationem.

12. Superior **tenetur dispensare**, si talis causa subsistat, qualis reddit dispensationem necessariam ad evitandum grave damnum tum temporale tum spirituale, vel ad procurandum aliquod magnum bonum commune vel privatum. — Si autem dispensans,

licet injuste, dispensationem negaverit, contra legem agi nequit; forsan patet recursus ad superiorem. Si superior etiam negat dispensationem, tunc observanda est lex, nisi sit nimis dura.

13. Dividuntur causae in *internas*, quae procedunt ex difficultate observandi legem (debilitas pro jejunio), et *externas*, quae oriuntur ex adjunctis personae quacum dispensatur vel personae dispensantis vel ex bono communi (quales causae sunt dignitas petentis aut dispensantis, utilitas communis aut privata, solutio pecuniae in utilitatem ecclesiae); in causas *motivas* (finales), quae per se sufficiunt pro dispensatione, et *impulsivas*, quae per se non sufficiunt, concessionem autem dispensationis valde promovent.

14. Valide, licet *illicite*, dispensat,[1] qui ordinaria potestate gaudens dispensat sine

[1] Nullus (nec legislator nec delegatus) potest sine justa causa dispensare; secus esset personarum acceptator, rectum ordinem perturbaret, vim disciplinarem destrueret.

Inferior qui dispensat sine justa causa excedit limites potestatis sibi commissae; delegatur enim sub conditione ea utendi cum justa causa.

justa causa. Delegatus vero sine causa valide dispensare nequit. — *Valet* dispensatio, quando dispensans (legislator) judicat non subesse causam, quae revera existit. *Invalida* autem est dispensatio, si dispensans existimet subesse causam quae abest: valor dispensationis pendet ab existentia causae et non ab ejus cognitione. *Valida* est dispensatio, si plures causae allegatae sint, quarum aliae sint falsae, aliae verae: *una vera sufficit.* Valet dispensatio, si causa falsa tempore petitionis, *vera fiat* tempore concessionis; sed non vice versa. Exaggeratio causae levis caeteroquin verae non reddit dispensationem invalidam. — Qui valide dispensatus est, potest uti valide (sed non licite) dispensatione etiam illicite petita.

15. Dispensatio cessare potest:

a.) *Revocatione* dispensantis. Qui propria potestate dispensavit,[1] semper valide,

[1] Potestas vel est *propria* vel *derivata.* Qui potestate propria gaudet (Superior), valide et sine causa in propriis legibus eam exercere potest. Inferior in legibus superioris, potestatem dispensandi derivatam, quae ipsi *jure ordinario* vel delegato concessa est, valide tantum exercere potest ex justa causa et intra ambitum facultatis concessae.

etiam sine justa causa, dispensationem revocare potest. Delegatus autem et inferior qui ex jure ordinario dispensare potest sine justa causa dispensationem valide revocare nequit; delegatus enim gratiam delegantis non potest revocare pro libitu. Revocatio dispensationis sine ulla causa semper illicita est. Dispensatio illegitime concessa revocari debet.

b.) *Cessatione causae motivae.* Requiritur, ut causa motiva totaliter et certe cessaverit. Dispensatus ab abstinentia ob infirmitatem, dispensatione uti potest, donec perfecte convaluit. Si plures causae motivae allegatae fuerant, omnes cessare debent, ut cesset dispensatio. *E.g.* dispensatio ob infirmitatem, labores et acatholicos.

c.) *Renuntiatione dispensati.* Potest quilibet uti jure suo et dispensationi concessae renuntiare, nisi renuntiatio cedat in damnum aliorum (matrimonium—jejunium). Renuntiatio, ut sit consummata, debet a dispensante acceptari. Non-usus dispensationis non est signum renuntiationis. Qui per longum tempus non est usus dispensatione, non tamen est censendus eam renuntiasse.

d.) *Morte dispensantis* cessat dispensatio, si concessa fuit hac vel simili clausula: "ad beneplacitum vel arbitrium nostrum," "donec nobis placuerit." Non autem cessat, sed concessa est absolute, quando habetur clausula: "ad beneplacitum S. Sedis vel Ordinarii vel donec revocatur;" est gratia facta, non facienda. In explicandis formulis standum est consuetudini. Generatim dispensatio non cessat morte dispensantis, sed est absolute concessa. Dispensatio non cessat relicto territorio dispensantis, sed peregrinus etiam extra domicilium suum ea uti potest. Non potest quidem uti dispensatione, quae in lege communi concessa est generali indulto omnibus incolis sui domicilii; dispensatione autem particulari in lege communi ex speciali causa sibi concessa uti potest ubique.

CAPUT XIV

DE PRIVILEGIO

1. **Privilegium** est gratia *permanens* uni aut pluribus a superiore concessa contra vel

praeter legem.[1] Privilegium non est *actus transiens*, sed facultas stabilis, habens rationem legis, quia a tota communitate agnosci et privilegiata servari debet.

2. Privilegium **concedere** potest solus legislator aut ejus successor. Privilegium *contra* legem solis subditis concedi potest, quia concessio haec est actus jurisdictionis; privilegium autem *praeter* legem etiam non subditis concedi potest.[2]

3. Privilegium est *personale*, quod directe confertur personae ratione personae, e. gr. potestas absolvendi a censuris, ob ejus scientiam, pietatem, infirmitatem; vel est *reale*, quod directe confertur alicui rei, a qua redundat in personam, ut privilegia concessa variis communitatibus et diversis statibus, — etiam indulgentiae annexae ecclesiis, altari, cruci, rosario.

[1] *Privilegium* est lex privata seu facultas specialis. — E. gr. Missionariis Apostolicis.

Specialis — non conceditur toti communitati, quod esset derogatio vel abrogatio legis. — A superiore . . . inferior non potest privilegia concedere, sed tantum licentias dare, nec contra legem.

[2] *Privilegium* oratorii privati est *contra* legem; privilegium *altaris* est praeter legem.

4. **Nemo tenetur** per se uti privilegio personali ac privato, quia quisque potest cedere jure suo. Per accidens autem tenetur uti tali privilegio, si non-usus in damnum alterius cederet aut si privilegium auferret impedimentum observandae legi oppositum. Confessarius debet uti facultate absolvendi a reservatis; infirmus debet audire missam in oratorio suo privato. — *Quisque tenetur* uti privilegio communi, quod in bonum commune concessum fuit nec ei potest renuntiare. E. gr. Privilegia clericorum et regularium.

5. Privilegium **cessat** interitu personae vel rei, elapso tempore praescripto, cessatione causae, renuntiatione privilegii mere personalis, revocatione concedentis. Morte vero concedentis privilegium *non* cessat, nisi illud expresse concessum fuerit ad tempus vitae concedentis vel gratiam contineat faciendam et res sit adhuc integra.

CAPUT XV

DE CESSATIONE LEGIS

Lex triplici ratione cessare potest: abrogatione, cessatione finis et consuetudine contraria.

1. Abrogatio est totalis ablatio legis per legislatorem facta. Quando ablatio est tantum partialis, vocatur derogatio. Qui potest legem condere, potest et abrogare illam.— Lex particularis non abrogatur per legem generalem, nisi id expresse statuatur quia legislator legem particularem ignorare praesumitur; abrogatur autem lex, (vel consuetudo) universalis contraria.

2. Cessatio *finis* seu causae motivae adaequatae tollit ipsam legem; cessante fine lex inutilis fit ideoque nulla. "Cessante enim causa cessat effectus." Oratio imperata pro obtinenda pluvia.

3. Consuetudo contraria seu desuetudo obligationem legis tollere potest. Consuetudo est jus quoddam non scriptum seu lex introducta diuturno communitatis usu, approbante eo qui curam habet illius communitatis. Consuetudo potest abrogare legem, quia eadem est vis consuetudinis ac legis; lex autem posterior tollere potest legem priorem. Quamvis neque lex naturalis neque lex divina positiva ulla consuetudine abrogari potest, nulla tamen datur lex humana quae consuetudine contraria tolli nequit.

4. **Conditiones** omnino necessariae, ut consuetudo tollat legem, sunt:

a.) Ex parte *legislatoris*, ut ejus consensus, saltem legalis, habeatur. Lex solum auctoritate legislatoris induci potest. Sufficit, ut hoc fiat lege universali. Consuetudo distinguitur a *praescriptione*, quae requirit bonam fidem (non vero consuetudo), et consensum illius contra quem praescribitur *non* requirit (consuetudo requirit consensum legislatoris). Consensus est *personalis*, quo ipse superior, vel *legalis*, quo jus aut lex universalis approbat consuetudinem. Consensus personalis supponit cognitionem consuetudinis, non vero legalis.

b.) Ex parte *materiae* requiritur, ut consuetudo sit rationabilis, *i.e.* ut sit honesta et utilis. Non requiritur, ut sine peccato inchoetur; qui enim consuetudinem legi contrariam introducunt, plerumque peccant. Sufficit, ut legi naturali et divinae non adversetur neque occasionem praebeat peccandi. Satis est, ut sit negative rationabilis. Sic: Impedimentum dirimens disparitatis cultus introductum fuit consuetudine.

c.) Ex parte *communitatis*, ut consuetudo

inducatur a communitate perfecta et exerceatur a majore communitatis parte per actus publicos et continuatos, notabili tempore praescriptos (saltem per decennium), cum intentione se obligandi (cf. Müller, I, 266). Si populus ex mera devotione agat, vis obligandi deest. Ex. Salutatio angelica.

5. **Clausula**: "Non obstante quacunque consuetudine," praeteritas respicit consuetudines, non autem futuras. Clausula: "exclusa quavis consuetudine in futurum," non impedire potest, quominus consuetudo contra legem de facto invalescat.—Superioris tamen est omni studio adlaborare et vigilare, ne novae consuetudines perniciosae invaleant, sed ut laudabiles consuetudines studiose observentur ac foveantur.

"Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum: et exquiram eam semper."

Per leges operationes humanae diriguntur ad finem; earum cognitio est regula remota ad ordinem moralem servandum. Ulterius autem requiritur, ut leges morales ad casus particulares seu ad actiones humanas applicentur, quae applicatio vocatur *conscientia*, de qua in sequenti tractatu agendum.

TRACTATUS DE CONSCIENTIA

CAPUT I

DE NATURA ET DIVISIONE CONSCIENTIAE

1. In theologia morali *conscientia* [1] designat *judicium mentis de moralitate instantis meae operationis*. Conscientia non est potentia, sed actus intellectus, qui versatur circa bonitatem vel malitiam moralem actionis humanae in concreto seu hic et nunc ponendae vel omittendae. Distinguenda est conscientia a *synteresi*, quae est scientia agendorum in genere seu potius habitus

[1] Conscientia etymologice significat communem plurium scientiam. Cicero, in Catal. I, "Constrictam jam omnium horum conscientia teneri conjurationem tuam non vides?"

A S. Thoma definitur conscientia "applicatio scientiae ad aliquem specialem actum."

Conscientia est *actus*, non habitus; actus *intellectus*, non voluntatis.

S. Bonaventura: "Conscientia est sicut praeco Dei et nuntius; et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut praeco cum divulgat edictum regis."

primorum principiorum moralium. Non agitur in hoc tractatu de conscientia *consequente*, quae actum praeteritum vel approbat laetitia sensibili vel improbat remorsu amaro, sed solum de conscientia *antecedente*, quae de liceitate vel illiceitate actus in praesenti et particulari casu judicat. Haec sola conscientia antecedens est proxima regula morum, quae regula, secundum quam omnes actus dirigendi sunt, actus ipsos praecedere debet.

2. *Conscientia* est *applicatio legis* ad singulas actiones humanas eamque habet vim obligatoriam quam ipsa lex. Et cum lex deducat suam vim a Deo (sive mediate sive immediate), ita conscientia vim obligandi a Deo petit. Inde sequitur *nunquam contra conscientiam esse agendum*. "Quidquid fit contra conscientiam aedificat ad gehennam." Innoc. III. Contra conscientiam agere est peccatum committere, quia est agere contra voluntatem Dei; quare Apostolus docuit Romanos: "Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est." — Omnis ergo *formalis malitia* vel bonitas actionum particularium desumenda est ab ipsa conscientia. Subse-

quens opinio de praeteritis actionibus bona fide positis peccatum formale efficere nequit.

3. Conscientia est conclusio alicujus *syllogismi*, cujus major continet legem generalem, minor casum particularem subsumendum et conclusio exhibet dictamen practicum de moralitate actionis faciendae vel evitandae. Exempla: audire missam; furari.

4. Quod Deus voluntatem suam nobis manifestat per intellectum nostrum natura fallibilem, *conscientia erroribus obnoxia esse potest.* Quare in specie agendum est de conscientia vera et erronea, certa et dubia, scrupulosa et probabili, laxa et perplexa. Ad conscientiam laxam reducuntur conscientia *cauteriata*,[1] quae propter diuturnum peccandi habitum gravia parvipendat et bibit quasi aquam iniquitatem (Job. 15, 16) et conscientia *pharisaica*, quae magna parvi et parva magni facit, "excolantes culicem, camelum autem glutientes" (Matth. 23, 24).

[1] *Cauteriata* (*seared*), de qua loquitur S. Paulus ad Timotheum, I, 4, 2: "discedent quidam a fide . . . cauteriatam habentium conscientiam." Qui habent talem conscientiam eo devenire possunt, ut laetentur dum malefecerint et exultent in rebus pessimis.

CAPUT II

DE CONSCIENTIA VERA ET ERRONEA

1. Conscientia est **vera** (seu *recta*), quae dictat aliquid quod revera tale est; secus est *erronea*. Conscientia erronea est vel *invincibiliter* vel *vincibiliter erronea*, prout error moraliter vinci vel non vinci potest.

2. Conscientiae **invincibiliter erroneae**, si *praecipit* vel *prohibet*, obsequi tenemur. Talis conscientia *subjective* conscientiae rectae aequiparatur; si quis contra eam ageret, vellet actionem malam aut nollet actionem praeceptam. Qui putat erronee esse jejunium, peccat nisi jejunet. Qui *dubitat*, an debeat furari a divite, ut egenti succurrat, peccat sive furetur sive non furetur; quia debet dubium deponere inquirendo veritatem. Qui putat se teneri ad mendacium ut proximum salvet, mentiri debet, secus peccaret.

3. Conscientiam **invincibiliter erroneam,** si permittat et consulat, absque peccato sequi possumus. Quando haec conscientia permittit aliquid faciendum, illud vult sub ratione boni, ut actionem licitam. Si conscientia talis putat licitum esse furari ad

subveniendum pauperem, furtum non esset peccatum.

4. Qui conscientia laborat **vincibiliter** erronea, nequit contra eam vel juxta eam agere, sed *illam deponere debet* inquisitione veritatis, scilicet vel Deum exorando pro lumine vel consilium petendo a piis et doctis viris. Non enim potest quis libere se exponere periculo peccandi.

5. Conscientia **laxa**[1] ex leviore causa a praecepto excusat et peccatum negat. Qui *scienter*[2] ex laxa conscientia praeceptum in re gravi transgreditur, mortaliter peccat, cum ignorantia ejus est voluntaria. In dubio de pleno consensu praesumendum est eum plene consensisse.

6. Conscientia **perplexa** illa est, quae ex utraque parte peccatum apprehendit. *Ex.* Infirmo assistere et missam audire. Qui conscientia perplexa laborat:

a.) *Si possit* actionem sine gravi damno differe, eam suspendere tenetur, donec consuluerit confessarium aliumve virum peri-

[1] Laxa conscientia est illa dispositio animi, quae libertatem plus aequo extendit.

[2] Scienter: scit enim se habere conscientiam potius laxam.

tum. Quia vitare debet, quod putat esse peccatum.

b.) *Si actionem differe nequit,* illud eligere tenetur quod sibi videtur minus malum, non autem ut faciat malum, sed ut magis recedat a malo.

c.) *Si minus malum discernere* nesciat, eligat, quidquid velit; non peccat, quia deest libertas, quae ad peccatum formale semper requiritur. In eo, ait S. Augustinus, quod nullo modo caveri potest, peccatum esse nequit. Ex. Sacerdos post consecrationem putat se peccaturum nisi repetat formam consecrationis et pariter se peccaturum si eam repetat.

CAPUT III

DE CONSCIENTIA CERTA ET DUBIA

1. Conscientia **certa** est illa, qua quis firmiter absque errandi formidine judicat aliquid esse bonum vel malum, adeoque faciendum vel vitandum. Conscientia recta respicit objectum seu rem, dum conscientia certa respicit subjectum seu hominem judicantem de re. Conscientia potest esse certa, quin sit recta, — i. e. invincibiliter erronea.

2. *Norma* actionum nostrarum est sola *conscientia certa,* quia " omne quod non est ex fide," ex certa persuasione, " peccatum est," Rom. 14, 23. Qui operatur cum conscientia non certa, voluntarie periculo se exponit: " Qui amat periculum, in illo peribit." Eccl. 3, 27.

3. *Sufficit* conscientia *moraliter certa* (omne prudens dubium excludens) ad licite operandum. Talis certitudo ordinarie non fallit et est vera certitudo, quamvis non absoluta; haec in rebus moralibus plerumque haberi nequit. Qui eam semper quaerere vellet, incideret in conscientiam scrupulosam.

4. Conscientia **dubia** est, quae haeret suspensa circa liceitatem actionis in particulari. Quando mens in dubio versatur, tunc est quasi lingula staterae, quae in aequilibrio posita nec in unam nec in aliam partem deflectit. Cum in tali conscientia judicium suspenditur, vera conscientia non est. — Dubium potest esse *juris*[1] vel *facti; specu-*

[1] Dubium juris, quando dubitatur de existentia vel obligatione legis; dubium *facti,* utrum factum subsistat, *v.g.* an homicidium sit commissum, an votum sit editum, an intentio habita, etc.

lativum[1] (theoreticum) de re in abstracto spectata vel *practicum*[2] de re in concreto spectata; *positivum* quando adest ratio gravis assentiendi, sed non sine prudenti formidine oppositi, vel *negativum*, quando pro neutra parte gravis ratio militat. In praxi dubium negativum pro nihilo habendum est quia fundatur in ratione inani. In dubio positivo propter aequalitatem rationum suspenditur judicium mentis.

5. **Nunquam licet agere cum conscientia dubia** seu cum dubio practico de liceitate. Qui sic agit, peccatum committit ejusdem speciei et gravitatis, cujus est peccatum, de quo dubitat. Patet ex supra dictis. Ex. Qui dubitat an sit dies abstinentiae et nihilominus comedit carnes.

6. **Si quis apprehendit id quod agit peccatum esse**, vel dubitat, an id sit peccatum, sed non attendit, utrum mortale vel veniale sit, tunc probabiliter venialiter tantum peccat,

[1] Speculativum, *v.g.* utrum bellum sit justum, utrum pingere sit opus servile; an puer sit baptizandus; an cibus sit caro.

[2] Practicum, *v.g.* utrum in hoc bello licet militare, utrum die Dominica liceat tibi pingere.

modo sit timoratae conscientiae neque habeat cognitionem, saltem confusam, gravis malitiae:

7. **Qui dubitat de liceitate actionis** ponendae, debet dubium deponere et *formare sibi conscientiam* practice certam, antequam agat. Duplex est via investigandi veritatem [1] seu potius efformandi conscientiam certam: *directa*, quae investigat rationes, consulendo libros vel viros peritos,[2] — vel *indirecta*, recurrendo ad principia reflexa, de quibus infra. Quodsi conscientia dubia nec directe nec indirecte deponi possit, actio differri debet, vel si necessitas actionis urget, pars tutior eligenda est. "Pars tutior autem stat pro observatione legis."

[1] In investiganda veritate adhibenda est diligentia non summa, sed moralis, aliter esset onus intolerabile.

[2] Ad conscientiam sibi efformandam requiruntur:

a.) *Propria agentis consideratio*, ipsius statui proportionata.

b.) *Interrogatio peritorum et consilii exquisitio;* — fidelis secure stat judicio sacerdotis.

c.) *Oratio;* "da mihi intellectum, ut discam mandata tua."

d.) *Exercitium virtutum*, quod removet impetum cupiditatum et restringit passiones ac concupiscentias.

CAPUT IV

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA

1. Conscientia **scrupulosa** ea est, quae ex inani causa dubitat de liceitate alicujus actionis. *Scrupulus* est inanis apprehensio seu levis suspicio, qua quis falso judicat aliquid esse peccatum quod non est, aut esse peccatum grave dum solum est leve. Scrupulositas non judicat sana mente, sed perturbata ratione. Conscientia scrupulosa non est confundenda cum conscientia tenera, quae a minimis peccatis et defectibus abhorret et ex amore filiali et reverentia erga supremum bonum procedit.

2. Licet cum conscientia scrupulosa agere seu potius licet agere contra scrupulos. Tunc quis non agit vere contra conscientiam, sed contra inanem apprehensionem, neque agit cum dubio practico, quia non adest tale dubium, sed mere timor vanus.

3. Causae scrupulorum sunt: naturalis dispositio, Deus, diabolus, imprudens lectio vel instructio.

Signa conscientiae scrupulosae, *remedia* scrupulorum et *regulae* pro confessariis scru-

pulosorum exponuntur in Tractatu de Poenitentia et adhuc fusius in Theologia Pastorali.

CAPUT V

DE CONSCIENTIA PROBABILI

1. Conscientia probabilis[1] est actus mentis, quo haec judicat de liceitate alicujus actionis, cum formidine errandi. Differt a *dubia*, qua mens judicium suspendit; conscientia enim probabilis judicat et assentit, etsi cum formidine errandi. Dictamen istud practicum formatur ex certis principiis reflexis. Quare conscientia probabilis est practice certa, etsi speculative probabilis.

2. Opinio est actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine de opposito. Ita Angelicus; sed in hoc tractatu opinio consideranda est sensu *objectivo* ut ipsa *res* seu *propositio*, cui mens propter motiva suadentia cum formidine de opposito adhaeret.

[1] S. Alphonsus vocat conscientiam probabilem, "qua quis innixus aliqua opinione probabili format sibi practicum dictamen rationis ex certis principiis reflexis ad licite operandum." — Numquam licet operari cum conscientia *practice* probabili (sed tantum speculative probabili).

3. Opinio dicitur **probabilis**, quae nititur gravi fundamento, ob quod viri prudentis non certum, sed probabilem assensum meretur. Opinio numquam probabilis esse potest, quando ex illa aliquid absurdi sequitur vel adversatur S. Scripturae aut Traditioni aut rectae rationi aut definitioni Ecclesiae.

4. Opinio **in se** spectata est vel *intrinsece probabilis*, quae gravibus rationibus ex ipsa rei natura desumptis nititur, vel *extrinsece probabilis*, quae in auctoritate doctorum fundatur et necessario supponit intrinsecam. — Regulariter unus auctor non sufficit,[1] ut opinio aliqua sit probabilis, nisi ille sit omni exceptione major; tradunt theologi sufficere quinque vel sex auctores graves, ut opinio eorum probabilis habeatur.

5. Opinio *relative* considerata seu *comparative* ad aliam dicitur *tuta, tutior, minus tuta,*[2] prout comparatur cum alia *ratione securitatis* non peccandi. Si autem opiniones comparantur *ratione probabilitatis,* dicuntur:

[1] "Nihil est tam improbabile, quod docendo non fiat probabile." — Cicero.

[2] Opinio *tuta* quae excludit periculum peccandi; *tutior,* quae magis excludit peccatum; *minus tuta* quae minus excludit periculum peccandi.

aequiprobabiles, probabiliores, probabilissimae; ratione acceptationis opinio vocatur *minus communis, communis, communior, communissima.*

Nota. Opinio est effectus peccati originalis; statuitur enim, ubi veritas ignoratur. Ignorantia est vulnus humanae naturae propter superbiam juste inflictum. In paradiso certitudine homo cognovit res morales; sed primus homo factus est primus probabilista, cum existimaverit se Deo fore similem.

CAPUT VI

DE VARIIS SYSTEMATIBUS MORALIBUS

1. Systema morale dicitur via et methodus, qua per plura principia rationis ex dubio speculativo circa obligationem legis deveniri potest ad conscientiam practice certam. Multa sunt adjuncta vitae humanae, in quibus surgit dubium circa obligationem legis ac proinde circa liceitatem alicujus actionis. Quodvis systema morale duplicem hanc questionem solvendam sibi proponit: Quomodo in dubio de obligatione legis se gerere debet homo, et quomodo manente tali dubio ad

conscientiam practice certam pervenire potest? Quando enim lex aliqua dubia est, duae sententiae (opiniones) sibi opponuntur quarum una legi, altera libertati favet.

2. Sex numerantur systemata moralia circa probabilitatem sententiae libertati faventis:

Tutiorismus absolutus,[1] juxta quem opinio tuta pro lege sequenda est, *etiamsi* contraria pro libertate sit probabilissima. Damnatus est ab Alexandro VIII.; confundit consilium cum praecepto; imponit fidelibus jugum intolerabile.

Tutiorismus mitigatus,[2] juxta quem opinio tuta sequenda est, *nisi* opposita sit probabilissima. Fautores hujus systematis Doctores Lovanienses saeculo XVII. et XVIII.

Probabiliorismus[3] juxta quem sequi pos-

[1] *Tutiorismum absolutum* defendebat Sinnichius (+1666), Hibernus, doctor Lovaniensis qui est auctor sententiae ab Alex. VIII. damnatae: "non est licitum, inter opiniones probabiles sequi probabilissimam."

[2] *Tutiorismus mitigatus refutatur:* opinio probabilissima (quam sequi licet contra legem) vel parit conscientiam certam vel non; si primum, incidimus in tutiorismum damn.; si alterum, licitum esset agere cum conscientia practice dubia.

[3] *Probabilioristae.* Inter *Dominicanos:* Mercones (+1669); Gonet (+1681), Gallus; Concina Daniel (+1756), Italus; Billuart (+1757), Belga.

sumus opinionem minus tutam, si probabilior est quam contraria pro lege. Fautores sunt Dominicani. Usus hujus systematis est confessariis et fidelibus impossibilis.

Aequiprobabilismus, juxta quem sequi licet opinionem minus tutam, modo aeque vel fere aeque probabilis sit ac opposita. Hoc systema tuentur praecipue theologi Congregationis S. S. Redemptoris, Marc, Aertnys, Konings; deinde, Gousset, Scavini, Müller, Pruner, Simar. Systema est illogicum et practice ineptum.

Probabilismus,[1] juxta quem licet sequi

Inter *Jesuitas:* Gonsalez (+ 1705), Hispanus, praepositus generalis; Camargo, Doctor Salmanticensis; Antoine (+1743), Gallus (quem S. Alphonsus "principem rigoristarum vocat").

Alii: Collet Petrus (+1770), Gallus, continuator operis Tournely; Fagnani Prosper (+1678), S. Congr. Concilii Secret., quem S. Alph. "magnum rigoristarum pricipem" vocat. Cabassutius (+1685), Gallus, Congr. Oratorii.

Refutatur. Saepe impossibile est determinare gradum majoris probabilitatis. Quod uni videtur probabile, alteri probabilius; quod hodie probabilius apparet, cras probabilissime. Opinio probabilior non propius accedit veritati, cum veritas ignoratur.

[1] *Aequiprobabilismus* insuper contendit systema applicari tantum posse, si dubium versatur circa

opinionem minus tutam, si vere et practice probabilis est, etiamsi opposita (legi favens) sit probabilior. Fautores sunt auctores Soc. Jesu, Franciscani, Bouquillon, Delama, et alii.

Laxismus, juxta quem licet sequi opinionem, etiamsi tenuiter vel dubie tantum sit probabilis; quod systema damnatum est. Fautores: Sancius,[1] Leander,[2] Diana,[3] Caramuel.[4] Dubia vel tenuis probabilitas, quae militat contra legem, non reddit eam vere dubiam.

Haec sex systemata ad *duas classes* referri possunt, quarum prima continet duo systemata priora tutioristica, altera vero quatuor systemata probabilistica; illa sunt systemata Jansenistarum, haec systemata Catholicorum.

existentiam legis, non autem si dubium est de cessatione legis; in hoc casu semper servandam esse legem.

Fere semper impossibile est determinare, quando opiniones sunt aeque vel fere aeque probabiles. — *Logici* contendunt opinionem, cujus opposita sit probabilior, adhuc posse esse vere et certe probabilem.

[1] *Sancius* (+1624), Sanchez, Hispanus.

[2] *Leander* (+1663), Gallus, ord. SS. Trinit.

[3] *Diana* (+1663), Theatinus.

[4] Ioan. *Caramuel* Lebkowitz (+1682), Cisterciensis, abbas Mesrokesis, postea in Italia episcopus.

CAPUT VII

DE PROBABILISMO

1. Probabilismus docet: sequi possumus opinionem vere et certe probabilem, etsi opposita pro lege sit probabilior, quotiescumque agitur de solo licito vel illicito. Leges dubiae respiciunt aut solam honestatem actionis aut finem vel effectum per actionem necessario obtinendum. Ex. Omittere sacrum; uti aqua naturali in baptismo. Principium probabilismi applicari potest solum in iis dubiis, in quibus tantum de honestate actionis agitur. Periculum peccandi, quod adducit opinio probabilis, praecavetur ope principii reflexi.

2. Probabilismus adhiberi nequit, sed pars tutior sequenda est, quoties agitur de *fine absolute obtinendo* vel de *malo necessario vitando*, quod accidit in *triplici* casu;[1]

[1] 1. Qui vult finem, debet velle media. Ex caritate salus aeterna est obtinenda et aeterna damnatio est evitanda. Medium (seu conditio) modo tuto adhiberi debet; ideo pars tutior eligenda est.

2. Ex virtute religionis, caritatis et justitiae sacramenta valide administrari debent, ne injuria Deo et damnum homini inferantur. Eligendum est medium certum (nisi in casu necessitatis, de quo in tract. de Sacr.).

nempe ubi agitur de medio ad salutem necessario, de valore sacramenti, et de certo jure alterius. Ibi lex non est dubia; occurrit solum dubium *rei* non legis. Quare hi tres casus non sunt exceptiones [1] a principio probabilismi, sed potius ad materiam probabilismi non pertinent.

3. Opinione probabili uti quis nequit, nisi dubium de obligatione legis sit invincibile nec non sententia sit vere et *certe* probabilis *ipsi* qui eam sequitur, et conscientia practice certa efformata fuerit ope principii reflexi.

4. Principium probabilismi est prorsus *universale* et extendit se ad omne dubium sive legis existentis sive legis cessantis. Licet ergo sequi opinionem probabilem contra omnem legem tum divinam tum humanam et quidem in omnibus adjunctis.

3. Ex justitia jus proximi illaesum est servandum. Medicus debet adhibere media tutiora et certiora, in quantum illa habere potest. Venatori non licet explodere, ubi probabiliter judicat occidi non feram sed hominem.

[1] Non sunt *exceptiones*, quia non cadunt sub principio probabilistico, in quo lex dubia occurrit. Hic lex est omnino certa: sc. sacramentum conferri nequit cum materia dubia.

5. Soliditas principii probabilistici probatur *ex ratione* per celeberrimum syllogismum: Lex dubia non obligat; atqui lex, contra quam militat vera et solida probabilitas, est vere dubia; ergo lex contra quam habetur vera probabilitas non obligat.[1] Alterum argumentum desumitur ex auctoritate theologorum et approbatione implicita Ecclesiae. Vide demonstrationem argumentorum clarissimam in operibus Génicot, Sabetti et Bouquillon.

6. E duabus opinionibus probabilibus sequi

[1] *Probatur principium Probabilismi:*

I. *Argumentum ex cognitione legis desumptum,* per syllogismum "Lex dubia," etc.

Ad majorem. Lex voluntatem solum per cognitionem ligare potest (S. Thomas: "nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti"); *atqui* quamdiu intellectus de existentia legis dubitat eam non cognoscit (sola cognitio certa est vera cognitio); ergo lex dubia voluntatem ligare nequit.

Ad minorem. Certitudo et opposita probabilitas circa eandem veritatem se mutuo excludunt; quamdiu ergo opinio pro libertate est vere probabilis, opinio pro lege nequit esse certa.

II. *Argumentum ex incertitudine legis desumptum.*

Lex incerta non potest inducere obligationem; atqui lex contra quam militat opinio vere probabilis non est certa; ergo obligare nequit.

III. Ex auctoritate et approbatione Ecclesiae.

licet modo unam modo alteram pro libitu, nisi sit in una eademque re, quae partim commodum partim incommodum affert. Ex. Testamentum sine formalitatibus.[1]

7. Quid ubitat, an *legi jam satisfecerit,* non tenetur adhuc ei satisfacere (nisi dubium sit mere negativum), quia probabilis satisfactio reddit obligationem dubiam; obligatio autem dubia est nulla.

8. Auctoritas S. Alphonsi tam magna est in rebus moralibus, ut quisque confessarius doctrinam ejus sequi possit, quin ejus rationes perpendat. Rejiciendae[2] vero sunt sententiae S. Doctoris, quae ab Ecclesia reprobatae sunt vel nunc adversantur consuetudini vel adjunctis tempore mutatis.

[1] Si quis haberet testamentum tale invalidum, ut adiret haereditatem et pro invalido, ne solveret legata.

Nec licet se de industria conjicere in dubium insolubile circa legem et sic uti opinione probabili contra legem. Exempl. Evigilo noctu et existimo nondum esse mediam noctem; non possum bibere et communicare, si obligatus ad jejunium ante haustum tempus certum explorare possum.

[2] "*Rejiciendae sunt*" . . . v. gr. reprobata fuit ab Eccl. opinio de patrino catholico in baptismo a ministro haeretico collato; "consuetudini," e.g. circa jejunium, opera servilia; "adjunctis," e.g. quantitas in furto; quae evidenti ratione demonstrantur falsae.

Nullus autem *tenetur* sequi opiniones S. Alphonsi, sed quisque liber est amplecti sententias aliorum, neque confessarius exigere potest ut poenitens sequatur opinionem, quam inter probabiles ipse sequitur. Ecclesia saepe saepius ejus doctrinam approbabit et auctorem laurea doctorali insignivit.

9. Probabilismus non favet *vitae laxae*. Principia enim probabilismi adhibentur solum, quando agitur de peccatis judicandis et de obligatione imponenda, ut induamur spiritu lenitatis et misericordiae erga miseros peccatores. Ubi vero agitur de exercitio virtutum et de perfectione consequenda, probabilismus nullatenus sufficit, imo perniciosus evadit. In servitio Dei oportet, ut agamus non propter legis obligationem, sed ex amore erga summum bonum.

a.) **Nota de systemate probabilismi:** Practice raro fieri, ut theologus sententiam aliquam cognoscat certe et notabiliter probabilem quin habeat oppositam minus probabilem.

b.) **Nota de systemate S. Alphonsi:** S. Alphonsus, relicto tutiorismo seu probabiliorismo, quo fuerat a magistris imbutus, communi probabilismo moderato ab anno

1749 saltem usque ad a. 1762 adhaesit illumque scriptis publicis, epistolis privatis et praecipue generali indole operis asseruit atque prodidit.

Ab anno 1762 usque ad a. 1767 opus suum perfecit tum quoad methodum et formam, tum quoad substantiam tum quoad expositionem systematis moralis, illud accuratius circumscribendo, solidius fundando, prudentius applicando; a sententia tamen prius suscepta nullatenus recessit.

Post annum 1767 S. Alphonsus laxismi accusationibus impetitus, importunis objectionibus vexatus, Iansenianae factionis clamoribus non sine ratione vehementer perterritus, ut invidiam et pericula a se suisque amoveret, aliquando visus est verbis nonnihil adversariis concedere, reipsa tamen minime retractavit sententiam suam primitivam (cf. Hurter, Nomencl. III, 463).

CAPUT VIII

DE PRINCIPIIS REFLEXIS

1. Principia reflexa sunt nonnullae veritates generales, quae *indirecte* dubium practicum

vincunt et ad certitudinem practicam efficiendam inserviunt. Haec principia sunt vel *universalia*, quae in quovis dubio adhiberi possunt, vel *specialia* (secundaria), quae tantum in dubio facti eoque negativo adhiberi possunt ad conscientiam practice certam efformandam.

2. Reflexa principia universalia sunt haec duo: *lex dubia non obligat et lex incerta nequit inducere certam obligationem.* Solum lex cognita potest ligare voluntatem; ista autem cognitio voluntati exhiberi debet. Quamdiu mens dubitat de legis existentia, ipsam legem non cognoscit. Quare S. Thomas ait: "Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti."

3. Reflexa principia *specialia* plura numerantur. Pleraque e sexto libro Decretalium desumpta sunt, et quamvis directe ad forum externum spectent, generatim tamen ad forum internum applicantur. Necesse est sacerdoti, qui conscientias debet prudenter dirigere, ut in applicandis istis principiis reflexis sit bene versatus:

4. *a.*) *In dubio melior est conditio pos-*

sidentis. Hoc principium proprie et immediate ad forum externum et quidem ad materiam justitiae commutativae pertinet atque sic explicatur a Reiffenstuel: "Quando duo in eadem causa rei sunt delicti, *e.g.*, si unus ex delicto dat et alter ex delicto accipit, melior est conditio possidentis, ita ut restituere amplius non teneatur. Item si duo parem causam absque delicto habent, pariter melior est conditio possidentis, adeoque a possessione dejici non potest, donec adversarius probet se meliore jure gaudere." — Propter analogiam haec regula ad ordinem spiritualem transfertur ideoque in foro interno adhibetur pro lege et libertate. Lex censetur possidere, si superveniente dubio lex certa erat; libertas dicitur possidere, si superveniente dubio libertas erat certa. Et hoc principium admittimus (contra Aequiprobabilistas) tum pro libertate tum pro lege.

b.) *In dubio praesumptio stat pro superiore.* Si dubitatur, utrum praeceptum a superiore impositum sit prudens et justum, obediendum est. Censetur superior melius judicare de rationibus quam subditus.

c.) *In dubio factum non praesumitur, sed*

probandum est. Agitur de facto principali, quod argumentis positivis probari debet. Qui dubitat, an aliquid sumpserit post mediam noctem, potest communicare. — Ad hanc regulam revocatur axioma: *nemo praesumitur malus nisi probetur,* quia caritas non cogitat mala.

d.) *In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus.* Ex communiter contingentibus colligi potest, pro qua parte stet praesumptio. Ex. Qui *solet* statim post confessionem adimplere poenitentiam; qui *solet* horas canonicas statuto tempore ac recto ordine persolvere; qui *solet* repellere cogitationes malas, etc.

e.) *In dubio standum est pro valore actus* seu *in dubio* praesumitur rite factum, quod de jure faciendum erat. Si factum principale est certum et dubitatur vel de modo debito vel de conditione necessaria, haec rite adfuisse censentur. Ex. Dubium de contritione sufficiente in peracta confessione. Dubium de valore matrimonii jam contracti.

5. Actio nequit esse prudens vi solius probabilitatis; quare falsum est *per se* illud famosum principium: " Qui probabiliter agit,

prudenter agit." Sed verum est principium, si sumitur de eo, qui conscientia certa sequitur opinionem probabilem.

Conscientias nostras, Domine, visitando purifica.

" Gloria nostra, haec est testimonium conscientiae nostrae." II Cor. I, 12.

" Serena mens, quasi juge convivium." Prov. 15, 15.

TRACTATUS DE PECCATIS

CAPUT I

DE NATURA ET DIVISIONE PECCATI

1. **Peccatum** est libera transgressio legis Dei.

Expl. *Libera,* quae procedit ex praevia cognitione et cum consensu voluntatis. — *Transgressio* significat laesionem legis Dei, quocunque modo fiat. — *Legis Dei,* quae lex obligat in conscientia. Ubi obligatio deest, peccatum esse nequit. Omnis lex vim obligandi immediate vel mediate a Deo accipit. Malitia ergo formalis peccati consistit in repugnantia contra voluntatem Dei.

Distinguitur peccatum ab *imperfectione,* quae est defectus ulterioris perfectionis vel transgressio aut omissio consilii divini.[1]

[1] Imperfectio est *defectus ulterioris perfectionis, v.g.* humilitas carens ea perfectione quam habere posset; haec imperfectio omnibus actibus humanis inhaeret.

Imperfectio per se non est peccatum, cum non sit contra legem Dei; quandoque autem accedit culpa sensualitatis vel negligentiae.

2. Ad omne peccatum *requiritur: a.*) ut *actio* sit mala seu contra legem Dei; *b.*) ut *peccans actualiter* advertat rem esse malam ipsumque hanc faciendo male agere; non vero requiritur, ut attentio duret per totum actum peccaminosum, sed sufficit ut adsit, quando actus malus incipit; *c.*) ut *voluntas* consentiat saltem indirecte in rem malam. Tentatio aut sensus delectationis aut propensio mala appetitus sensitivi non sunt consensus; "non nocet sensus, nisi adsit consensus."

3. Nullum est peccatum *philosophicum* quin sit *theologicum*. Non datur actio moraliter mala, quae non offensa Dei. Contraria distinctio damnata est ab Alexandro VIII. Qui enim advertit opus suum adversari rectae

Transgressio si indeliberata, *v.g.* involuntaria distractio in oratione, indeliberatus excessus in risu vel clamoribus, est peccatum leve materiale.

Omissio, *v.g.* non obedire inspirationibus divinis, omittere preces matutinas, statuta communitatis violare.

rationi, advertit saltem in confuso illud esse contra voluntatem Dei ideoque peccaminosum.

4. **Dividitur** peccatum in

a.) *originale* et *personale;*

b.) *actuale,* cui definitio convenit et de quo solo agimus, et *habituale,* quod est effectus peccati actualis in anima relictus (status peccati).

c.) In peccatum *commissionis,* quod est contra praeceptum negativum, et *omissionis,* quod est contra praeceptum affirmativum. Ex. Furtum, omissio sacri. — Omissio actus interni, non autem actus externi, fieri potest sine actu positivo voluntatis. *v.g.* dicere actum fidei vel contritionis.

d.) In peccatum *externum* et *internum;* etiam in peccatum *cordis, oris* et *operis,* ratione modi quo fiunt.

e.) In peccatum *contra Deum, contra proximum* et *contra seipsum,* prout est contra virtutes, quae *Deum, proximum* vel *ipsum agentem* immediate respiciunt. Ex. Blasphemia, furtum, ebrietas.

f.) In peccatum *ignorantiae, infirmitatis* et *malitiae,* prout ex ignorantia culpabili, ex

vehementi passione vel perversa voluntate procedunt.

g.) In peccatum *mortale* et *veniale*, ratione gravitatis; quae distinctio *theologica* dicitur.

h.) In peccatum *materiale*, quod est transgressio involuntaria, et *formale*, quod est transgressio voluntaria et proprie peccatum vocatur.

CAPUT II

DE DISTINCTIONE PECCATORUM SPECIFICA

1. Distinctio *specifica* (objectiva) illa est quae desumitur ex speciali malitia seu deformitate, qua unum peccatum ab alio essentialiter differt. Iubemur peccata in specie infima confiteri (Conc. Trid., sess. 14, C. 5). Quare magni interest, ut cognoscamus normam, secundum quam peccata specifice distinguantur. Sed theologi in solutione istius quaestionis in diversas sententias abeunt. *S. Thomas* repetit distinctionem specificam ex diversis objectis; *Scotus* ex diversis virtutibus, quibus peccata opponuntur; *Vasquez* ex diversis legibus, quibus peccata adversantur. Hae sententiae facile

possunt conjungi [1] et sic exprimi: peccata *remote* accipiunt distinctionem specificam a virtutibus vel praeceptis, quibus opponuntur, *proxime* vero ab objectis, ad quae referuntur. Peccatorum species facilius determinantur, si modo diversitas praeceptorum consideretur, modo diversitas virtutum; quare duo ponimus principia.

2. Principium I. *Distinctio specifica peccatorum desumitur ex violatione praeceptorum formaliter diversorum,* praecise quia peccatum est transgressio praecepti.[2]

Principium II. *Distinctio specifica peccatorum desumitur etiam ex oppositione ad virtutes essentialiter diversas, nec non ex oppositione diversa vel etiam contraria ad*

[1] *S. Thomas:* peccatum est actus humanus; actus humanus autem speciem suam accipit ab *objecto.*

Scotus: peccatum est privatio virtutis oppositae; privatio accipit speciem a forma opposita.

Vasquez: peccatum consistit in privatione convenientiae cum praecepto opposito. Una sententia alteram explicat et perficit.

[2] Detractio, furtum, fornicatio sunt peccata specie distincta, quia tribus diversis praeceptis adversantur. Omissio sacri et peractio operum servilium die Dominica sunt duo peccata quia duobus praeceptis diversis opponuntur.

eandem virtutem. Vide exempla apud Müller, I, p. 479.[1]

3. *Peccata specie differunt,* quae *opponuntur pluribus praeceptis,* si ex diverso motivo circa eandem materiam lata sunt. Ex. Qui tenetur ad abstinentiam ex voto, poenitentia et lege eccl. Quodsi praecepta ex eodem motivo lata sunt vel nec ratione motivi nec ratione legislatoris diversa sunt, peccata illis opposita specie non differunt. Sed haec est potius explicatio principii primi quam novum principium. Exempla: Furtum prohibitum ex eodem motivo lege naturali, divina et humana. Sacerdos religiosus peccans contra castitatem; presbyter beneficiatus omittens officium.

Pro praxi consule Berardi, I, c. 3.

[1] Haeresis, desperatio et odium Dei repugnant tribus virtutibus essentialiter diversis. Violatio voti et perjurium uni virtuti (religioni) sed *diverso* modo adversantur, seu potius duobus diversis actibus religionis.

Prodigalitas et avaritia (sicut omnia peccata per excessum et defectum) specie differunt ex oppositione contraria erga eandem virtutem liberalitatis.

Titus per longam tempus fidem non excercet; postea in corde eam renuntiat; dein haereses profert; demum persecutor fidei evadit. Peccat contra fidem omissione, cogitatione, verbo et opere.

CAPUT III

DE DISTINCTIONE NUMERICA PECCATORUM

1. Unus actus plura peccata specie diversa continere potest, et eadem species plura peccata numero diversa continere potest. In hoc capite videndum est, utrum et quando *peccata ejusdem speciei* secundum numerum distinguantur. Numerica distinctio peccatorum desumitur ex pluralitate objectorum et actuum. Conemur tribus principiis sequentibus rem sat difficilem intelligere.

2. Principium I. *Tot sunt peccata, quot sunt circa diversa objecta actus voluntatis completi.* Supponuntur singuli actus in se completi; ergo, quot numero actus sunt, tot numero peccata sunt. Plura peccata committit, qui diversis actibus a diversis personis furatur — cum pluribus feminis fornicatur — diversis actibus plures occidit.

3. Principium II. *Tot sunt peccata numero diversa quot sunt circa idem objectum actus voluntatis moraliter interrupti.* Moralis unitas actus voluntatis destruitur interruptione, et multiplicatur iteratione. Actus voluntatis interrumpuntur per *voluntariam*

revocationem vel per *cessationem voluntariam* vel per *cessationem involuntariam.*—In specie:

a.) *Actus mere interni* (*v.g.* odium, ira, haeresis, delectatio turpis) toties multiplicantur, quoties consensus voluntatis innovatur. Sed si plures actus mere interni ex eodem impetu passionis procedunt, unum peccatum constituunt, etsi aliqua mora inter ipsos intercedat.

b.) *Actus interni exterius complendi* (*v.g.* propositum furandi, fornicandi) toties multiplicantur, quoties pravum propositum formaliter innovatur.[1]

c.) *Actus externi toties* multiplicantur, quoties iterantur, si sint in se completi et ab invicem independentes. Ex. Percussio. Actus externi non multiplicantur, si ad unum actum principalem ordinantur vel ex eodem impetu passionis procedunt. Ex. Furtum centum dollarium per plures dies; multae blasphemiae in eodem impetu irae.

[1] Retractat, dein resumit illud propositum. Potest propositum ex impetu passionis procedens tanquam unicus actus protrahi per duos vel tres dies. In aliquibus actibus prava voluntas (ut unus actus) per hebdomadam et mensem persistere potest. *E.g.* Occidere inimicum, Furtum patrare, cogitare per mensem.

4. PRINCIPIUM III. *Tot sunt peccata numero distincta, quot sunt objecta totalia seu moralia.* Objectum *totale* vocatur illud, quod vel ex natura sua vel ex apprehensione agentis (ex intentione et affectu voluntatis agentis) non tamquam pars vel complementum ad aliud ordinatur, sed in se completum est. Objectum etiam *morale* dicitur, quia in re morali quandoque plura objecta physice distincta unum objectum morale constituunt. Hoc videtur dependere ex natura objecti et ex apprehensione objecti. Sic familia, civitas, communitas natura sua unitatem moralem habent et ut unum objectum generatim apprehenduntur. — Qui unico actu scandalum praebuit pluribus vel famam alicujus apud plures laesit, numerum personarum explicare non tenetur. Sacerdos in mortali degens, qui uno tractu plures confessiones audivit vel a fortiore plures communiones administravit, unum actum peccaminosum posuit. — Alia plura exempla videas apud Müller, I, 483, et Berardi, I, c. 4.

5. Ex dictis patet multa peccata multis actibus et unum peccatum multis actibus et multa peccata unico actu patrari posse. —

Notari potest, numericam distinctionem peccatorum saepe saepius in confessione rudium non obtinendam esse.

CAPUT IV

DE GRAVITATE PECCATORUM SEU DE DISTINCTIONE THEOLOGICA PECCATORUM

1. Ratione gravitatis, quae est quantitas malitiae, peccatum distinguitur in *mortale* et *veniale.* Peccatum mortale est transgressio legis, cujus observatio simpliciter necessaria est ad finem ultimum consequendum. Peccatum veniale est transgressio legis, cujus observatio non absolute necessaria est, sed tantum ad finem ultimum melius et citius assequendum. Haec est peccati mortalis et venialis *differentia intrinseca.*

2. *De fide est* dari peccata mortalia et venialia natura sua ab invicem distincta. *Criteria externa,* quibus inter peccatum mortale et veniale distinguitur, sunt: S. Scriptura, S. Patres et Ecclesiae Doctores, Communis theologorum doctrina, Ecclesiae decreta; *criteria interna* ex gravitate mate-

riae et ex gravitate motivi seu finis praecepti desumuntur.

3. Peccata sunt *ex toto genere gravia,* quae dum manent intra eandem speciem objectivam, semper gravia sunt. Infidelitas, desperatio, odium et contemptus Dei. — Peccata sunt *ex toto genere levia,* quae dum manent intra eandem speciem objectivam, semper levia sunt. Vanae cogitationes, verba otiosa, mendacia jocosa vel officiosa. — Peccata sunt *ex genere suo gravia,* quae dum manent intra eandem speciem, modo gravia modo levia sunt. Furtum, detractio, intemperantia.

4. Secundum *essentiam* peccatum mortale est aversio a Deo, fine ultimo et conversio ad creaturas. Illa aversio potest esse *explicita* et *formalis* (ut odium Dei) vel *implicita* et *virtualis,* qua quis se convertit (explicite) ad creaturas et nollet averti a Deo. Mortaliter peccando homo creaturam constituit ultimum finem. Inordinatus amor sui recte vocatur *fons et origo omnis peccati.* — *Relate ad legem Dei,* peccatum mortale est actio, quae pervertit ordinem ad ultimum finem. *Relate vero ad Deum,* peccatum mortale est

gravis *offensa Dei,* quia est conversio ad creaturas et violatio legis. Inde Deo ipsi justa ratio indignationis et aversionis praebetur.

5. *Non omnia peccata mortalia sunt paria,* sed alia sunt aliis graviora, ut patet ex Evangelio secundum Joan. 19, 11, et secundum Matth. 5, 22; 11, 22.[1] — Quatenus autem peccatum mortale consistit in aversione a Deo, quae est simplex negatio, non admittit gradus; quatenus vero in conversione ad creaturas consistit, diversos

[1] *Ioan.* 19: "Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet." — Matth. 5: "Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit raca, reus est concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis." — Matth. 11: "Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis." Diversi gradus poenae respondent diversis gradibus culpae.

Graviora sunt peccata contra Deum quam contra seipsum et proximum.

Graviora sunt peccata commissionis quam omissionis.

Graviora sunt peccata spiritualia quam carnalia.

Graviora sunt peccata oris et operis quam cordis.

Graviora sunt peccata malitiae quam infirmitatis et ignorantiae.

Aversio hominis a Deo durat, donec voluntas se ad Deum convertat et sufficientem satisfactionem praestiterit.

gradus admittit quia bonum finitum ultimo fini (Deo) magis vel minus opponitur.

6. Peccato mortali homo incurrit *reatum culpae* seu fit reus subeundi justam indignationem Dei et *amittit gratiam sanctificantem*, et incurrit *reatum poenae* subeundae in vita praesenti ac futura. Cf. Müller, I, 495. Poenae hujus vitae sunt omnes *medicinales*, poenae autem vitae futurae sunt omnes *vindicativae*. Poenae vitae futurae sunt duplicis generis: poenae *damni* et *sensus*. De istis effectibus peccati mortalis fusius tractant dogmatici.[1]

[1] Ut valorem principiorum magis aestimes, solvas sequentes casus:

Melchior confitetur: die prohibita carnes comedi, quin per totam comestionem de peccato veniali cogitaverim; divinis inspirationibus saepe restiti; lethaliter peccavi loquendo contra amicum meum: uxorem meam pluries percussissem, nisi voce tam atroci clamaret; nunc confessionem non instituerem, nisi esset tempus paschale; imo vellem esse protestans, si me citius salvare ita possem.

Balthassar confitetur: Egestate miserrima oppressus contra Deum iracundia exardui ac proposui me per unum annum nullum praeceptum observaturum esse; per mensem habui desiderium furandi eique postea renuntiavi; quinquies contra justitiam peccavi et semel famae proximi detraxi; in ultima confessionc dicere omisi, me die Dominica inebriasse.

7. *Tres conditiones* ad peccatum mortale constituendum necessario requiruntur: materia gravis, plena advertentia mentis et plenus consensus voluntatis.

a.) *Materia gravis* esse debet aut in se aut in circumstantiis. Ubi obligatio non est gravis, transgressio gravis esse nequit.

b.) *Plena advertentia* omnino requiritur ad obligationem gravem inducendam. Mortaliter ille solum peccat, qui plene advertit actum esse contra legem graviter obligantem. — Ubi deest advertentia plena, ibi consensus voluntatis est imperfectus. — Semiplena advertentia adest in semidormiente, semisobrio, semideliro; in distracto; in eo, qui vehementi passione turbatus est.

Caspar, missionarius regionarius, pie desiderat fieri Rector Cathedralis Ecclesiae, eo quod alios sacerdotes dioeceseos se scientia ac experientia excedere putat; vestibus se induit valde pretiosis; nigri tamen coloris, et catenam auream horologio adnexam portat sicuti decet virum cultum (gentleman); ut vincinum rectorem in aestimatione fidelium deprimat, saepe in ejus ecclesia praedicat eumque propter facilitatem eloquii et sonoram vocem superat; tandem cum episcopus sit aetate provectus et mox e vita migraturus ad episcopatus dignitates aspirat, haud immemor Apostolici dicti: "Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat." Tim. 3, 1.

c.) *Plenus consensus voluntatis* in transgressionem legis est necessarius, quia actus moralis peccati mortalis debet esse perfectus. Non decet divinam sapientiam, ut hominem addicat poenis aeternis propter actum malitiae imperfectum. Ut autem consensus sit plenus et perfectus, non requiritur immunitas a passione vel metu. — Consensus praesumitur *semiplenus* in eo, qui est timoratae conscientiae et habitualiter abhorret a gravi peccato vel qui peccatum exterius facile exequi potuisset, et nihilominus abstinuit.

8. Qui cognoscit se quidem male agere, sed *nihil* prorsus *cogitat*, an *res gravis vel levis sit, non* peccat mortaliter, quia gravem obligationem nullatenus apprehendit neque rem esse gravem intelligit.

9. Qui *deliberat* num aliquod peccatum mortale commissurus sit, graviter non peccat, si est mera haesitatio seu omissio promptae resistentiae; secus vero, si serio expendit utrum rem graviter malam facere velit an non.

10. *Peccatum ex genere suo mortale* fieri potest *veniale:*

a.) *ex imperfectione actus*, quando deficiunt

plena advertentia et plenus consensus voluntatis;

b.) *ex conscientia erronea*, qua quis putat aliquid esse veniale, dum reipsa est peccatum mortale.

c.) *ex causa excusante*, quae non ab omni peccato, sed saltem a mortali eximit, — ut metus gravioris incommodi in jejunio vel in assistentia ad missam.

11. *Peccatum veniale* essentialiter differt a peccato mortali in eo, quod hominem non avertat a Deo nec dignum reddat aeterna damnatione. In peccato veniali inordinatio non fit tanta, ut ex natura sua non sit reparabilis, quia principium remissionis (caritas) non destruitur in anima; insuper actio venialiter peccaminosa in Deum uti finem ultimum non dirigitur. Pulchre dicit S. Thomas: "Qui venialiter peccat, actum aliquem facit, quo in Deum non tendit, ex eo quod inordinate ei, quod est ad finem, inhaeret, unde peccans venialiter similatur ei, qui nimis moratur in via."

12. Peccatum veniale *imminuit fervorem caritatis* et inducit *reatum culpae et reatum poenae.* Sub reatu poenae hic intelligitur

solum poena sensus, non autem poena damni. Vide Müller, I, 501. — Peccata sunt venialia *ratione materiae* vel *ratione imperfectionis actus.*

13. Peccatum, *ratione materiae veniale,* potest fieri mortale:

a.) *ex erronea conscientia* (sic saepe mendacium et furtum leve apud pueros);

b.) *ratione finis graviter mali* (furtum leve propter homicidium);

c.) *ratione gravis scandali* (levitates in sacerdote; verba leviter mala parentum coram filiis);

d.) *ratione contemptus formalis sive legis sive legislatoris;*

e.) *ratione periculi proximi* (qui quaerit conversationem cum sociis, in qua saepe jam peccavit graviter);

f.) *ratione affectus appretiative maximi* ad peccatum leve (quo paratus sit potius Deum graviter offendere quam a ludo abstinere).

14. *Plura peccata venialia* non possunt constituere peccatum mortale, quia solus numerus non mutat essentiam peccati; inter peccatum autem veniale et mortale est discrimen essentiale; attamen peccata venialia

multiplicata ratione materiae coalescentis vel ratione effectus causati possunt constituere peccatum mortale. Ex. Furtum leve et repetitum cum advertentia ad effectum gravem.

Nota. In *praxi confessionis* utiliter sequeris consilia P. Génicot: "Prudenter, pro poenitentis capacitate confessarius interroget num habuerit illam plenam advertentiam plenumque consensum de quibus supra dictum est.

"Si, ut crebro contingat, responsa poenitentis dubium non tollunt, judicet secundum praesumptionem quam ei suppeditat reliqua confessio vel vita poenitentis. Ne frustra vexet poenitentem interrogationibus quae certe intentum non assequentur, ut cum poenitens rudis est et confessario ignotus. Neque ullum incommodum in eo est quod judicium hoc Deo relinquat, saltem ubi non agitur de periculo in futurum cavendo."

15. *Venialia peccata ad mortalia disponunt,* quia impediunt specialem Dei protectionem ac liberalitatem et progignunt propensionem ad transgressiones graviores, praesertim si quis frequenter venialia committit in eadem

materia. "Qui spernit modicum, paulatim decidet." Eccl. 19, 1.

CAPUT V

DE PECCATIS INTERNIS

Peccata interna vocantur, quae solum mente et voluntate perficiuntur. Communiter triplex classis peccatorum internorum distinguitur: *desiderium,* quod respicit rem futuram et modo efficax modo inefficax est; *gaudium,* quod respicit rem praesentem et in deliberata complacentia mali operis patrati consistit; et *delectatio morosa,* quae respicit rem praeteritam et morosa vocatur non a duratione delectationis, sed quia voluntas in ea libenter moratur, licet unico instante.

§ 1. *De desiderio pravo*

1. *Desiderum pravum* est actus voluntatis, quo quis exoptat rem malam. Est *efficax* desiderium, quod proponit rem malam opere exequi, et *inefficax,* quod rem malam exequi vellet, si posset.

2. Desiderium pravum est *peccatum,* quia

actus humanus desumit moralitatem ab objecto quod hic est res mala. Et cum actus internus tendit in actum externum tamquam suum objectum, desiderium induit *omnem speciem et malitiam actus externi.* Adulterii reus est, qui habet desiderium adulterandi. Inde Christus dixit: "Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam maechatus est eam in corde suo." Quare desideria prava graviter peccaminosa in *confessione* declarari debent. *Ex.* Desiderium furandi calicem consecratum, peccandi cum consanguinea, occidendi hominem.

3. Desiderium pravum *sub conditione "si liceret" malitiam auferente* per se non est peccatum, quia desiderium non tendit in objectum malum, cum conditio apposita removet malitiam ab objecto. Dixi: *per se*, quia tale desiderium generatim est otiosum et frequenter periculosum. *Ex.* Laborarem die festo, comederem carnes, si liceret; uxorem ducerem, si subdiaconus non essem; inimicum occiderem et furarer, si Deus permitteret; homicidam suspenderem, si judex essem.

4. Desiderium pravum *sub conditione "si liceret" malitiam non tollente*, peccatum est,

quia tunc voluntas fertur in objectum cujus malitiam apposita conditio non exuit. *Ex.* Mentirer, perjurarem, blasphemarem, fornicarer, si liceret. Sunt intrinsece mala, quae Deus mutari nequit.

5. *Licitum est optare malum proximo ad bonum finem,* servato ordine caritatis. Nempe bonum, propter quod proximo desideratur malum, debet superare aut saltem adaequare malum. *Ex.* Patri licet optare mortem filii, quem praevidet seductum iri. Licet optare mortem tyranno, ut pax redeat; licet uxori, quae durissime tractatur, marito aut sibi ipsi mortem optare, "melior est enim mors, quam vita amara." Eccl. 30, 17. Non licet sibi optare mortem propter quotidianas vitae miserias.

§ 2. *De gaudio et delectatione morosa*

1. *Gaudium pravum* natura sua non differt a delectatione morosa, sed tantum extrinsece quoad objectum alio tempore repraesentatum. Gaudium, quod est approbatio rei malae peractae, *peccatum est grave* vel leve pro gravitate materiae, atque continet omnes

species mali operis patrati. Ex. Gaudium de percussione clerici.

2. *Licitum est gaudere de modo*, quo opus malum patratum est (de ratione ingeniosa furti), et *de bono effectu* operis mali. Gaudium de haereditate ob homicidium consecuta; de exonerata natura vel sedata temptatione ex pollutione (etiam voluntaria) secuta. — Tale gaudium periculo non caret.

3. *Illicitum est* gaudere *de re mala* ob effectum bonum inde secutum. Quando autem res mala consideratur ut causa boni effectus, tunc licet de ea gaudere, quia hoc est gaudere de bono effectu operis mali. — Explica Luc. 16, 18 [1]; II Cor. 7, 9 [2]; cantum Ecclesiae "O felix culpa!"

4. *Delectatio morosa* est complacentia libera de opere malo per imaginationem exhibita ut praesente sine desiderio illam faciendi. Delectatio morosa est *peccatum ejusdem speciei et gravitatis* ac opus malum ad quod refertur, quia objectum actus voluntatis est malum malitiamque suam desumit ex opere malo

[1] Lucas 16, 8: "Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset."

[2] II Cor. 7, 9: "Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam."

cogitato. Delectatio de furto, mendacio, fornicatione. — Differt delectatio a cogitatione de re mala; haec potest esse bona (*v.g.* ad docendum), dum illa sit peccatum mortale.

5. Delectatio morosa induit *malitiam circumstantiae* speciem mutantis. Delectatio de homicidio sacerdotis duplex peccatum; delectatio de copula cum persona sacra est fornicatio et sacrilegium.

Notat. Berardi pro praxi: "Rudes delectationes turpes, desideria turpia, voluntatem committendi turpia, gaudium de turpibus, haec omnia in unum confundunt, et ad unicam speciem *turpium cogitationum* referunt." Inde concludes confessario non esse obligationem tales homines circa illas diversitates specificas interrogandi.

CAPUT VI

DE PECCATIS CAPITALIBUS

1. Aliqua peccata dicuntur *capitalia*, quia sunt quasi capita et fontes, ex quibus multa alia peccata oriuntur. Nomen *capitalis* merentur non propter *gravitatem*, sed propter

numerum et *varietatem* peccatorum ex illis provenientium. Peccata capitalia verius non sunt actus peccati quam pravae *passiones;* quare melius *vitia capitalia* dicuntur. — *Vitium* definitur habitus inclinans ad peccandum per actus repetitos in anima generatus. Initium vitiorum est inordinatus sui ipsius amor, quo quis sibi vult bonum temporale contra rectum ordinem. *Triplex fomentum vitiorum* invenitur in concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae. I Joan. 2; 16. Vitiorum vero *caput* est septiforme. Septem enim numerantur vitia capitalia, voce memoriali *Saligia* comprehensa, scilicet: superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia.

§ 1. *De superbia* [1]

1. Superbia est inordinatus amor propriae excellentiae. Superbia in eo consistit, quod

[1] Opponitur humilitati per defectum. Non est superbia, dona divina agnoscere eaque praeferre quae aliis collata videt, dummodo qui gloriatur, in Domino glorietur.

Superbia est *aperta rebellio* contra Deum. Boëtius: "Cum omnia vitia fugiunt a Deo, sola superbia se Deo opponit."

quis excellentiam suam (perfectiones et bona) considerans nec advertens se illam a Deo habere, eam plus aestimat quam par est.

2. Superbia *completa* ea est, qua homo ita vult excellere ut nemini subesse velit nec Deo nec superioribus. Ista superbia est *peccatum ex toto genere suo mortale;* peccatum vere diabolicum et omnium gravissimum.

Quomodo conjunguntur verba Domini: "Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est" (Matth. 5, 16), et "Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua?" Suntne actus virtutis manifestandi vel occultandi? Resp. Opera *communia* (audire missam, recipere communionem paschalem, jejunium, etc.), quae ad virtutem christianam necessaria, manifestanda sunt; opera autem *extraordinaria,* seu supererogationis (mortificatio seu denegatio extraordinaria) occultanda. Lege S. Augustinum de necessitate humilitatis apud Müller II, 289.

Superbia est *stultitia:* "Si quis se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit." Gal. 6; 3. "Omnis qui se exaltat, humiliabitur." Matth. 23, 12.

"Quomodo cecidisti de coelo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: In coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo." Is. 14; 13, 14.

3. Superbia *incompleta* illa est, qua quis se pluris facit quam par est, retenta tamen subjectione erga Deum et superiores, quod duplici modo fieri potest: eo quod inordinate quis cupit excellere super alios, vel eo quod nimis aestimat et amat propriam excellentiam. Superbia incompleta *per se* est peccatum veniale; *per accidens* potest esse peccatum grave, quando cum gravi contemptu vel gravi damno aliorum conjunctum est.

4. *Filiae superbiae* enumerantur quatuor:

a.) *Ambitio* seu inordinatus appetitus honoris et dignitatis non debitae.

b.) *Vana gloria* est inordinatus appetitus laudis.

c.) *Jactantia*, quae est inordinata manifestatio propriae excellentiae per verba.

d.) *Ostentatio*, quae est inordinata manifestatio propriae excellentiae per facta vel signa seu per exteriorem pompam.

5. *Motiva* exuendi superbiam: 1., quia est contra naturam humanam, 2., directe contra Deum, 3., diabolo assimilat, 4., divinis gratiis privat, 5., causa est passionis Christi, 6., signum reprobationis, 7., summae stultitiae initium (Antiochus, Nabuchodonosor,

Napoleo), 8., omnium vitiorum regina et mater (S. Greg.).

6. *Media.* 1., Praeceptum et exemplum Christi, 2., humilitas B. M. V., 3., consideratio propriae vilitatis et peccatorum, 4., consideratio divinae excellentiae.

§ 2. *De avaritia* [1]

1. Avaritia est inordinatus amor bonorum temporalium. Opponitur avaritia virtuti liberalitatis per defectum. Generatim hoc vitium provenit a nimio amore consan-

[1] Liberalitati per *excessum* opponitur prodigalitas, quod in se minus peccatum est, quia minus abest a virtute liberalitatis.

Avaritia est "*idolorum servitus*" (Eph. 5, 5), quia sicut paganus in idolis, sic avarus in idoli materia, quae est aurum et argentum, suam fiduciam ponit "et animam suam venalem habet" (Eccl. 10, 10).

Avaritia febris est quae lucro non exstinguitur, sed potius accenditur, "radix omnium malorum" (I Tim. 6, 10), quia nullum est malum, ad quod cupiditas divitiarum aliquando non impellat.

B. Clemens *Hofbauer* saepe dicebat facilius inveniri. decem poenitentes Magdalenas, quam unum poenitentem Zachaeum.

"Avaro nihil est scelestius." Eccl. 9, 9.

"Divitiae si affluant nolite cor apponere." Ps. 61, 11.

guineorum, a nimia sollicitudine de futuro et ex defectu confidentiae in divinam providentiam. Avaritia aeque in paupere ac in divite reperiri potest.

2. *Duobus modis* avaritia committitur: *a.*) excedendo in retinendis bonis acquisitis (parsimony, closeness); *b.*) excedendo in cura et sollicitudine nova bona acquirendi (avarice).

3. *Avaritia est peccatum ex toto genere suo veniale;* facile autem fit peccatum mortale, quando, ut *saepe*[1] accidit, alia virtus (justitia, caritas) laeditur. Frequenter homo avarus paratus esse videtur, ut ex amore pecuniae et divitiarum mortaliter peccet.

4. Haec sunt *filiae* avaritiae:

a.) *Obduratio cordis* erga pauperes (quos avarus dure alloquitur, sine misericordia vacuos repellit, rigore debita solvenda exigit, quamvis impars).

b.) *Inquietudo cordis* seu vehemens et inordinata applicatio mentis ad divitias acquirendas ac conservandas (cum inani timore ne non acquirantur vel perdantur).

[1] Alienum invadendo vel non restituendo vel egeno in gravi necessitate non succurrendeo.

c.) *Fraus* seu deceptio alterius per facta.

d.) *Dolus* seu deceptio alterius per verba.

e.) *Proditio*, quae est deceptio alterius contra fidem datam in ejus damnum.

5. *Motiva:* 1., *Avaro nihil pejus;* Deum ipsum cum Iuda pecunia vendit.

2., *Vanissimus est labor* ("Stulte, hac nocte animam tuam repetunt, et quae parasti, cujus erunt?" Luc. 12, 20).

3., *Mille curarum et afflictionum causa est;* avarus semper eget.

4., *Morbus est prope incurabilis.* "Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit." Iuvenal. 5., ob *restitutionis difficultatem* periculosa.

6., *Nauseam coelestium* creat.

6. *Media:*

Se peregrinum aestimare; coelestis patriae meminisse; vanitatem rerum mundanarum considerare et Christi paupertatem; pauperibus dare et sic pecuniam in coelum praemittere.

§ 3. *De luxuria*

1. Luxuria est appetitus inordinatus rei venereae, cujus usus ex natura solum ad

conservationem generis humani institutus est. Luxuria virtuti angelicae opponitur ut vitium omnium foedissimum, et plurimos candidatos gehennae adducit.

2. Luxuria est *peccatum mortale ex toto genere suo*, si est directe volita. Apostolus luxuriosos a regno Dei excludit, Gal. 5, 19. — Aliquando admittit parvitatem materiae, si luxuria indirecte tantum sit volita.

3. Luxuriae *filiae* sunt sequentes:

a.) *Caecitas mentis.*

b.) *Inconsideratio*, qua quis in modo delinquit, inconsiderate agens, quae statum vel personam dedecent.

c.) *Inconstantia.*

d.) *Languor et amissio fidei.*

e.) *Odium Dei;* abhorret luxuriosus a Deo tanquam a peccatorum vindice.

f.) *Desperatio* propter horrorem futuri saeculi.

4. *Motiva:* 1., Omnia alia vitia amplitudine et diuturnitate superat.

2., Insatiabile et prope immedicabile vitium.

3., Bestiale et christiano nomine indignum.

4., Perniciosum corpori et animae.

5. *Media:* 1., Fuga cogitationum et occasionum.

2., Orationi ferventer incumbere.

3., Tribulationibus exerceri.

4., Meminisse se esse membrum Christi.

5., Recordatio mortis aliorumque extremorum.

6., Perfecta humilitas et subjectio erga Deum.

7., Sensuum accurata custodia.

8., Otii detestatio.

9., Corporis castigatio.

§ 4. *De invidia*[1]

1. Invidia est tristitia de alterius bono quatenus hoc est diminutivum propriae excellentiae.[2] Differt ab *aemulatione,* qua quis non propter bonum alterius, sed proprii defectus causa tristatur; ab *indignatione,* qua quis tristatur de bono alterius, prout iste est

[1] Invidia oritur ex superbia, qua quis adeo amat bonum, ut nolit illud possideri ab alio.

[2] Invidus est quasi non videns, quia bona alterius sine tristitia videre nequit.

Invidia est scelus *diabolicum,* etenim "invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum." Sap. 2, 24.

eo indignus. Invidia solet adesse inter aequales aut fere aequales. Gloria superioris non solet apprehendi ut diminutio propriae excellentiae. Hoc vitium est valde commune, cujus motus primi etiam in viris perfectis reperiuntur.

2. Invidia est *peccatum ex genere suo mortale,* quia est directe contra caritatem; peccata autem contra caritatem ex genere suo sunt mortalia. Plerumque in invido admittitur parvitas materiae ideoque a peccato mortali excusatur, cum non serio vult proximum magno bono spirituali vel corporali carere. Vide Müller, II, 121.

3. Quinque *filiae* invidiae:

a.) *Odium proximi.*

b.) *Susurratio,* quae fit per malas et occultas oblocutiones de proximo (backbiting).

c.) *Detractio.*

d.) *Exultatio in adversis proximi.*

e.) *Afflictio in prosperis proximi.*

4. *Motiva:* 1., Maxime adversatur bonitati divinae; 2., daemoni similem facit;

"Rara virtus, alienae non invidere virtuti." S. Bern.

"Invidia etiam sanctos adussit, quanto magis cavendum, ne inflammet peccatores." S. Ambr.

3., omni excusatione caret apud Deum; 4., invidus ipse suus est carnifex; 5., est vitium stultum et triste.

5. *Media:* 1., Oratio crebra; 2., dilectio fraterna; 3., exemplum sanctorum; 4., contemptus rerum terrestrium et aestimatio aeternarum; 5., se divinae voluntati perfecte conformare.

§ 5. *De gula* [1]

1. Gula est inordinatus appetitus cibi et potus, qua modus a ratione in usu cibi et potus praescriptus non servatur. Hoc vi-

[1] *Duplex* species *gulae: crapula,* quae est excessus in cibo, vel in potu non inebriativo, et *ebrietas,* quae est excessus in potu inebriativo.

Gula *opponitur* virtuti *temperantiae,* vel potius crapula *abstinentiae* et ebrietas *sobrietati.*

Crapula ex genere suo peccatum veniale est, ebrietas vero mortale.

Crapula per accidens fieri potest mortale, si quis in ea constituit ultimum finem ("Quorum Deus venter est," Phil. 3, 19), si imparem reddit solvendis debitis.

"Quorum Deus venter est, quorum fides in culina calet, caritas in olla fervet et tota spes in ferculis jacet." Tertull.

"Sicut in die honeste ambulemus, non in commessationibus et ebrietatibus." Rom. 13, 13.

tium opponitur virtutibus abstinentiae et sobrietatis, et specifice dividitur in comessationem et ebrietatem. Gula quinque modis committitur, nempe si edas

Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose, seu si edas (vel bibas) ante tempus, nimis exquisita seu nimis pretiosa attento tuo statu, plus justo, voraciter, exquisite praeparata et praesentata. Inordinatio ergo versari potest circa sumptionem ratione temporis, circa substantiam, circa quantitatem, circa sumptionem ratione modi, circa qualitatem.

2. Gula est *peccatum ex genere suo leve.* Facile vero fieri potest peccatum mortale ratione gravis damni in corpore si quis advertenter laedit sanitatem, et ratione gravis damni in anima, si quis per eam negligit officia sub gravi obligatione. Probabile peccatum grave non est indulgere gulae usque ad vomitum, etiam cum intentione vomendi.

3. Gula habet quinque *filias,* quorum nomina sunt:

a.) *Hebetudo mentis* ad intelligenda.

b.) *Inepta laetitia,* movens ad turpes cantus, etc.

c.) *Multiloquium.*

d.) *Scurrilitas* in verbis et gestibus (buffoonery).

e.) *Immunditia* cujusvis generis (vomitus, aliaque hujus generis).

Scholion. — De ebrietate[1]

4. Ebrietas est voluntarius excessus in potu, quo quis absque necessitate se privat usu rationis. *Duo requiruntur* ad ebrietatem constituendam: perturbatio vel amissio rationis et potus vini vel alterius potus alcoolici. *Perfecta* ebrietas habetur, si usus rationis totaliter amittatur; quod generatim contingit, quando ebrius non distinguit amplius

[1] *Malitia* ebrietatis in privatione usûs rationis pro *notabili tempore* consistere videtur. Haec privatio fit *voluptatis causa* et *modo plane bestiali. Ebrietas* permittitur *probabiliter* ad securius peragendam operationem chirurgicam; tamen periculum infelicis operationis multo minus avertitur quam inhalatione etheris.

Metu mortis injecto posset quis bibere usque ad ebrietatem, dummodo non *formaliter* impelleretur ad ebrietatem, in odium virtutis.

Aliquando licet ad ebrietatem inducere alterum ex *gravi causa* (in ebrietatem ipsi non culpabilem), ut elabar e carcere, quando jus habeo evadendi, — ut detegam secretum magni momenti quod alter *injuste detrectat* mecum communicare (cf. Lehmkuhl, I, 437).

inter bonum et malum, inter diem et noctem, postea de nihilo recordatur, sensus omnes prorsus amittit. — *Imperfecta* ebrietas contingit, quando mens turbatur, remanente tamen facultate distinguendi bonum et malum. *Signa* imperfectae ebrietatis: excessiva hilaritas, multiloquium, scurrilitas, linguae titubatio, pedum vacillatio, vertigines, oculorum illusiones, ita ut objecta duplicari et parietes in gyrum iri videantur.

5. Ebrietas *perfecta* est *peccatum mortale*. *Prob.* e. *S. Scriptura:* "neque ebriosi regnum Dei possidebunt," I Cor. 6; ex *consensu communi;* ex *ratione*, propter gravem deordinationem: homo se privat primaria facultate constitutiva, imaginem Dei ad tempus destruit et se ad statum bestialem reducit ("Quanto melior asinus ebrioso." S. Chrys.); *ex sequelis:* vitium non facile deseritur, occultari nequit ideoque cum scandalo conjungitur, corpus enervat, proli nocet; fomentum est maximum libidinis. "Nunquam ego ebrium castum putabo." S. Hieron.

6. *Mala quae in ebrietate committuntur*, sunt imputabilia si in particulari vel in genere

praevisa fuerint, et ista peccata etiam in statu ebrietatis suam inordinationem conservent. Furta, homicidia, fornicationes, — non autem contumeliae. Quae dicenda sunt de iis, qui alios directe vel indirecte *ad ebrietatem inducunt,* vide apud Berardi, I, 254.

7. *Resolutiones practicae.* Licet ebrietatem inducere indirecte ad morbum depellendum, typhum, praesertim qui ex hausto veneno et serpentis morsu oritur; ad magnos dolores levandos; ad nervos sopiendos. Non licet inebriare moribundum, ut sine dolore moriatur; usus rationis tunc est maxime necessarius. — Ad tristitiam depellendam licet bibere usque ad hilaritatem.[1]

8. *Promissio non bibendi* (the pledge) potum alcoolicum bona est in se et quandoque alicui necessaria ad salutem. *In praxi,* multa prudentia opus est in excipienda ista promissione, ut optime demonstrat P. Sabetti, in app. de ebrietate. — Cf. etiam meam Theol. Past. §§ 34, 54.

[1] Damnandi sunt matres et nutrices quae ad lacrimas puerorum compescendas alcoholicis vel opiatis potionibus utuntur.

Damnandi sunt medici, qui eodem remedio corporis dolores imminuant sine gravi ratione.

§ 6. *De ira* [1]

1. Ira est inordinatus appetitus vindictae. Quae inordinatio secundum S. Thomam dupliciter fieri potest: *a.*) ex parte *modi* irascendi, *v.g.* si nimium interius exardescas vel exterius per signa nimis patefacias; *b.*) ex parte *objecti*, si vindictam appetas plane injustam ob causam vel si justo majorem, puta si appetas puniri eum qui non meruit vel ultra quod meruit vel non ad debitum finem. — Iracundia ad iram se habet ut habitus ad actum, *i.e.* iracundia est habitus irae.

2. Ira prout est inordinatus motus appetitus *irascibilis*, est *peccatum ex toto genere suo veniale.* Talis irae sunt tres species: rancor, insania, furor.[2] — Quatenus ira est

[1] *Ira* est affectus per se indifferens; potest esse justa et injusta.

Ira est *justa*, quando secundum rectam rationem frenatus et non in personas, sed in vitia, dirigitur. "Irascimini et nolite peccare." Ps. 4, 5.

Justa ira prodest ad vitia efficacius corripienda et ad justitiam robustius propugnandam.

De mansuetudine legas apud Müller, II, pp. 514, 515 (a. 2 ad 4).

[2] *Rancor*, quatenus ira causat indignationem, aversionem et odium;

inordinatus appetitus *vindictae*, est *peccatum* ex genere *suo mortale*, quia directe repugnat caritati vel etiam justitiae.

3. *Filiae* irae sunt:

a.) *Indignatio* seu commotio animi contra alium, a quo quis reputat se indigne tractari.

b.) *Tumor animi*, vindictas excogitantis.

c.) *Clamor*, quo iratus extollit vocem effunditque multa inordinate.

d.) *Blasphemia*.

e.) *Contumelia* (cf. Müller, II, § 173).

§ 7. *De acedia*

1. **Acedia** est taedium animi seu tristitia de spirituali bono, quatenus ad ipsum hominem pertinet. *Communiter* accipitur acedia ut tepor animi in exercitio virtutum propter molestias illi adnexas; *specialiter* autem est tristitia de mediis ad salutem necessariis.

2. *Acedia* est *peccatum ex genere suo mortale*, quia repugnat caritati divinae et aversionem actualem a Deo continet. Qui deliberate dolet de gratia suae conversionis

Insania, quatenus ira rationem perturbat;
Furor, quatenus in enormes motus externos erumpit.

ob difficiles obligationes mortaliter peccat. Frequentissime autem acedia est peccatum veniale ex imperfectione actus. Saepe etiam acedia in sola sensualitate sistit (cf. Génicot, I, 174), vel in tristitia de bono opere quatenus molestum est. — Si quem poenitet voti emissi vel sacerdotii suscepti, haec tristitia non est peccatum mortale, dummodo retineat propositum adimplendi votum et obligationes.

3. *Filiae* acediae numerantur praecipue:

a.) *Malitia,* qua quis odio habet bona spiritualia.

b.) *Pusillanimitas* in aggredendis iis, quae ad obsequium Dei spectant.

c.) *Rancor* adversus eos, qui ad virtutem inducant.

d.) *Torpor.*

e.) *Evagatio mentis* in oratione, etc.

APPENDIX

DE TENTATIONE AD PECCANDUM

1. *Causa efficiens* peccati est abusus voluntatis creatae. Peccare est deficere vel a Deo recedere. Valet vero voluntas hominis ad

Deum accedere aut a Deo recedere. Homo ad nihil deficere potest, ait S. Augustinus, quia de nihilo factus est.

2. *Causa excitans* peccati vocatur *tentatio, quae est* incitamentum ad peccandum. Tentatio *triplici causa* provenit: a natura nostra corrupta, a mundo, a diabolo. Prima ergo causa in nobismet ipsis relicta est ex peccato originali: *concupiscentia* seu inclinatio ad peccatum. Duae alterae causae sunt hostes nostri externi. Sub nomine *mundi* intelliguntur res terrenae et homines terrena sapientes. *Diabolus* tum interiori tum exteriori operatione homines seducere conatur (vide Müller, I, 492).

3. *Consentire, non sentire,* peccatum est. "Ecce inflammat inimicus desiderium cibi, vanitatis aut impatientiae cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motus, solummodo ne consenseris, et quoties restiteris, coronaberis." S. Bernard.

4. *Illicitum est tentationem provocare,* propter periculum consensus atque etiam secluso periculo consensus, quia semper debemus ab infectione concupiscentiae cavere ejusque remotionem desiderio caritatis anhelare.

S. Thom. 22, a. 5. — *Leves* tentationes simpliciter spernendae sunt; contra *graves* autem tentationes viriliter certandum est vigilantia et oratione, cum omni humilitate et fiducia in Deum, scientes nobis nolentibus, neque hostes internos neque adversarios externos praevalere in nos.

"Tamquam a conspectu serpentis fuge peccatum." Eccl. 21, 2.

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS

CAPUT I

DE VIRTUTIBUS IN GENERE

1. *Virtus latiori* sensu est perfectio potentiae; *strictiori* vero sensu ab Angelico definitur: "bonus habitus mentis, quo recte vivitur, et quo nemo male utitur." Habitus est dispositio seu inclinatio, qua quis facile operatur. Illa autem dispositio mentis non est mera velleitas vel desiderium inane, sed inclinatio vere efficax recte agendi.

2. *Per virtutem homo maxime assimilatur Deo*. Virtus enim est habitus *operativus*, qui hominem promptum reddit ad recte operandum. Per operationem autem homo fit maxime similis Deo, qui est actus purus seu cujus actio est ipsius substantia (cf. Müller, I, 402).

3. Multipliciter virtutes *dividuntur:*

a.) Ratione *finis ultimi* in *naturales* et *supernaturales,* quatenus viribus naturae acquiruntur et ad finem supernaturalem referuntur.

b.) Ratione *diversae potentiae* in virtutes *intellectuales* et *appetitivas,* prout intellectum perficiunt ad cognoscendum verum, vel voluntatem ad prosequendum bonum. — Virtutes intellectuales aliae sunt *speculativae* (sapientia, intellectus, scientia), aliae *practicae* (prudentia et ars). Omnium virtutum intellectualium regina est sapientia, quae omnia relate ad Deum ut causam et finem considerat. Habitus isti intellectuales tantum sensu improprio vocantur virtutes. Solae virtutes appetitivae dicuntur morales, quia appetitum inclinant ad recte agendum.

c.) Ratione *causae efficientis* in virtutes *infusas* et *acquisitas,* prout immediate a Deo in potentiis animae producuntur vel per repetitos actus ab homine acquiruntur.

d.) Ratione *objecti* in virtutes *theologicas* et *morales,* prout aliquam perfectionem divinam pro suo objecto immediato habent vel rem creatam. Ex. Fides, sublevatio egeni.

e.) Ratione *perfectionis* in virtutes *communes* et *heroicas* prout modo ordinario et communi exercentur, vel modo extraordinaro, sc. prompte, expedite.

CAPUT II

DE MEDIO VIRTUTUM

1. *Virtus moralis in medio consistit* seu inter excessum et defectum servare debet medium, ut actus ejus sit rectae rationi conformis. "Haec est via, ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram." Isai. 30, 21. — Ex. Liberalitas est medium inter prodigalitatem et avaritiam; obedientia inter servilitatem et inobedientiam.

2. Virtutes *morales* consistunt in medio ratione *objecti*. Quod medium est *medium rei*, ex natura rei determinata et semper idem aut *medium rationis*, quod ratio per prudentem aestimationem pro persona et circumstantiis determinat. — Medium virtutis in *justitia* est *medium rei*, in aliis autem virtutibus est medium rationis.

3. Virtutes *theologicae* non habent medium

ratione objecti, sed tantum ratione *modi.* Objectum enim horum virtutum est ipse Deus, contra quem peccari per excessum nequit; *v.g.* nimis in Deum credendo vel sperando. — In modo autem quo illae virtutes exercentur, peccatum adesse potest, nimio conatu vel tempore inopportuno.

CAPUT III

DE NEXU VIRTUTUM

1. Virtutes *theologicae* ita sunt connexae inter se, ut in ordine generationis caritas supponit spem et fidem et spes supponit fidem. Fides autem haberi potest sine spe; et fides et spes haberi possunt sine caritate. Caritas vero tribuit omnibus virtutibus perfectionem virtutis.

